HO
17/6

Ex dono Auctoris accepit Philipp. Jac: Abbas S. Petri Ao. 1756.

Compactura hic facta est eod. Año à Bibliopega Friburg. : Hagenbuch.

HO 17/6
I H S
DOMUS ARGENTINENSIS
SOC. JESU.
Dedit HO
Loc. Bibl. 17/6

Digitized by Google

Digitized by Google

MONASTICON MOGUNTIACUM

Sivè

SUCCINCTA

Veterum Monaſteriorum
in Archi-Epiſcopatu Moguntino,
viciniſque locis,
Partim extantium, partim ſuppreſſorum,
vel in uſus promiſcuos converſorum

NOTITIA

Ex Libris publicis, veteribúſque monumentis excerpta, & ordine alphabetico digeſta,

Per

R. P. OLIVERIUM LEGIPONTIUM
O. S. B. Cong. Burſfeld. Cænobitam, Diſibodibergenſis Abbatiæ Præfectum.

ANNO
QVo DICebatVr paX, paX, CVM
non eſſet paX.

Typis Joannis Julii Gerzabek.

Digitized by Google

CAROLI MAGNI

Sententia libro VII. Capitularium Cap. 104.

NOvimus multa Regna, & Reges eorum propterea cecidiſſe, quia Eccleſias ſpoliârunt, réſque earum alienaverunt, & militibus loco ſtipendii dederunt. Quapropter nec fortes in Bello, nec in fide ſtabiles fuerunt, nec victores extiterunt; ſed terga multi vulnerati, & plures interfecti verterunt, Regnáque, & Regiones, & quod pejus eſt, Regna Cæleſtia perdiderunt, atque propriis hæreditatibus caruerunt, & hactenùs carent. Qualiter Dominus talium criminum ultrices pænas per Saracenos, & alios populos venire permiſit, cunctis eorum geſta legentibus liquet. Et niſi nos ab his caveamus, ſimilia nobis ſuperventura non dubitemus, orante Eccleſiâ: Omnes Principes eorum, qui dixerunt: hæreditate poſſideamus Sanctuarium DEI, DEUS meus pone illos, ùt rotam, & ſicut ſtipulam ante faciem venti---

Pſal. 82.

H 2

Digitized by Google

HONORI & VENERATIONI
Reverendiſſimi, Perilluſtris ac Ampliſſimi
DOMINI
D. BENNONIS,
Sacri Benedictinorum Ordinis, Antiquiſſimi, Liberi & Exempti Brzevnovienſis S. Margarethæ propè Pragam Archiſterii, necnon Braunenſis & Policenſis Monaſteriorum eidem unitorum Abbatis, Wahlſtadii in Sileſiâ Præpoſiti, inclytæ Congregationis Bohemo-Moravicæ Præſidis Generalis & Viſitatoris perpetui; Regni Bohemiæ Prælati infulati; Domini in Brauna, Politz, Slaupna, Kladna, Hrdly &c. Utrobique meritiſſimi.

Hoc quidquid eſt operis,
CUM VOTO OMNIGENÆ FELICITATIS,
dicat & conſecrat
P. O. L.

Digitized by Google

Reverendiſſime, Perilluſtris ac Ampliſſime Domine, Dne Prælate & Patrone gratioſiſſime!

QUod olim Ariſtides Rhetor ſcitè effatus eſt: *Superis templa, viris ſummis libros dedicari oportet*; id paſſim â multis retro ſeculis uſitatum, atque etiamnùm in more poſitum eſſe conſpicimus, ut ſi qui publicæ utilitatis cauſâ ſuas evulgare decreverint lucubrationes, illas cuidam primi ſubſellii Viro, non ſine exquiſito lenociniorum apparatu, nuncupare ſoleant, tùm ut majorem inde fœnerentur lucem, tùm ne patrono deſtitutæ, alio-

rum

Digitized by Google

rum criſi pateant obnoxiæ. Huic ego mori morem gerere ſollicitus dúm tenuem hanc opellam præſtanti omninó vindice & hyperaſpiſte indigam, Illuſtri Tuo Nomini, *Antiſtes Venerandiſſime*! inſcribere paro, fruſtra ſim, ſi quod alii aſſolent, fucatis verborum illecebris captandæ gratiæ gratiâ adornatis tua hic merita collaudare, aut elogia retexere ſuſcepero. Faciant id illi, qui faciles dignationis Tuæ aditus parario aucupari, vel *mollia*, quod ajunt, *fandi tempora* explorare, ac per cuniculos & blandimenta in pectus irrepere, favoresq; venari conſueverunt; propioribus ego cauſis malo tuum adſciſcere patrocinium, quàm longinquis illis, & quæ mihi cum pluribus cōmunes eſſe poſſunt. Multa verò eaque haud proletaria cùm ſint argumenta, quibus Te præ reliquis *Præſul Ampliſſime*! in hujus noſtri libelli Mecœnatem, ac propoſiti promotorem interpellare compellor, tùm illud haud poſtremū eſt, quòd partus tuo in fundo natus, tuis auſpiciis excultus, & favori-
bus

bus auctus, ſuo quodam jure tuam ſibi polliceatur gratiam, tuumque exambiat præſidium, ut quod ſibi deeſt a parente decus, aut a mole pretium, utrumque ab Illuſtriſſimæ Dignitatis Tuæ ſplendore nanciſcatur quàm maximum, fiatque â TE magnum, quod in ſe admodùm eſt puſillum. Huic motivo affine eſt iſtud, quòd cùm me jam ab aliquot annis tuo in contubernio degere, ac religioſis ſtudiorum alumnis Theologiã *Dogmaticam* prælegere volueris; ne rebus interceptis, è loco aſymbolus recederem, hoc ſaltem cujus demùm cùmque commatis ſymbolum, non tam ùt ſempiterni cultûs & obſervantiæ, quam animi magis contestandi teſtimonium tholis tuis eâ, quâ par eſt, devotione, defigendum duxerim. Sed iſtis omnibus titulis præponderat arcana quædam ratio, Benedictinæ gloriæ ſtudioſo, niſi mihi nimium abblandior, minimè improbanda. Cùm enim Mortales ferè omnes de nullâ re magis, quàm de juribus ſuæ familiæ aut conſervandis, aut acquirendis, vel aſſerendis cogitare ſoleant,

Digitized by Google

ant, hic autem conatus noſter eò potiſſimùm collimet, ut ea, quæ Sacro Ordini Benedictino iniquitas temporum detraxit ornamenta, eidem velut poſtliminio vindicentur; facilè exinde datur intelligi, quid ſit, quòd conſcriptus hâc mente libellus, præpotenti ſanè præſidio, & tutelâ indigus, ad ejus confugiat patrocinium, qui ut tutò aliis ſeſe inſinuet, ex omnibus unus facilé præſtabit. Talem verò TE eſſe *Antiſtes Reverendiſſime*! in cujus prudentiâ, authoritate, & animi promptitudine ſpes noſtras ſecurè poſſimus reponere, ex eo arguimus, quòd non modò ratum penſumque habere ſoleas quidquid juſtum ſanctumque eſt, ac ordini glorioſum, ſed etiam magno zelo, nec minore providentiâ curas omnes & ſtudia ad tuendum nominis Benedictini decus, juraque religionis aſſerenda, & patrum hæreditatem vindicandam ſanctiſſimè convertas & applices. Taceo illam, nunquam tacendam pectoris magnitudinem, vigiles per omnia curas, & indefeſſam pro

bo-

bono communi ſollicitudinem, quæ in hâc, quâ vivimus, aſperâ rerum criſi, TE ſacratiori impulſu coëgerunt *tot adire labores*; certè quantâ ſedulitate ſubditorum neceſſitatibus & commodis invigiles, quanto ſtudio cœnobiorum tuorum incolumitati & ſplendori incumbas, quantâq; ſolertiâ res lapſas erigere, conſciſſas inſtaurare, divulſas componere, ſolari mœſtas, diſſipatas colligere adlabores, novit & deprædicat inclyta Congregatio Bohemo - Moravica; quam *Præſes* & *Viſitator perpetuus* ſapientiſſimè per plures annos gubernas, tot inter adverſa, calamitates & bella ſemper glorioſus, victus nunquam. Quia ergo hâc uti rarâ, ita eximiâ virtute in ſacro hoc ſenatu & Antiſtitibus & populo princeps regnas, operam, ſpero, dabis haud ſegnem aut inanem, ut illorum plurimos noſtris conatibus, cœptis, ac conſiliis faventes conficias, tuoque exemplo id agas, ut reliqui preſſo pede generoſi paſſûs veſtigia terant. Longè enim abeſſe videris ab illorũ

mo-

moribus, qui cùm opere ipſo ſtrigoſi ſunt & parci, verbis tamen copioſi, gratias, quas nunquam præſtant, linguâ ſemper circumferunt. Dicerem majora de TE *Antiſtes meritiſſime!* verùm opuſculi ratio & materia non patitur; immò ſi rectè tuam penſare novi modeſtiam, ingrata auribus tuis accideret illa fuſior meritorum tuorum commemoratio, quæ etſi ſunt cumulatiſſima, & nobis quotidie ob oculos verſantur, Tu tamen tegi ea mavis, quam in publicum produci. Et licet *fruſtra jacitur recte ante occulos pennatorum;* mihi nihil-ominus ſatis fuerit, quòd etiam abſque me, TE vel invito quidem, illa loquetur & extollet, *pennâ metuente ſolvi, fama ſuperſtes.*

Quod reliquum eſt Deum ter O.M. ſupplex veneror, tùm ut TE *Mecœnas gratioſiſſime!* publicis privatisque commodis, cum admirabili tuo animi robore, & infractâ corporis valetudine, ad inſigne Benedictini Nominis decus, bonarum artium augmentum, & tui ſodalitii gloriam immortalem, quam

quamdiutiſſimè ſoſpitem vegetumq; conſervet; tum ut res tuas, tuaque vota & conſilia ordinis bono quàm maximè negotiatura ita fortunet, ut nullâ deinceps acerbitate, nullo ſævientis Bellonæ impetu, nullâque adverſâ viciſſitudine perturbentur. Eò collimat ſumma votorum, quæ ſupremo Numini ad aras nuncupat,

Reverendiſſimæ Perilluſtris ac Ampliſſimæ Dignitatis Tuæ

Cultor humillimus
ac obſequentiſſimus

P. *Oliverius Legipontius*
Cœnobita Benedictinus.

Digitized by Google

LECTORI
Candido & Cordato ſalutem in eo, in quo eſt vera ſalus.

INſtituti rationes, ut ipſo in limine paucis tibi reddam *Lector benevole*! Syllabum hìc exhibeo veterum Monaſteriorum, quibus olim primarius Germaniæ Archi-Epiſcopatus *velut novellis olivarum in circuitu menſæ ſuæ* mirificè floruit, nunc verò bullulante in eis ſæcularium ollâ, vel ululante hæreſi, miſerè flacceſcit. Quo quidem in opere labor haud vulgaris adhibitus ob confuſas alibi, vel penitùs obliteratas ætatum notas, rerum viciſſitudines, ordinémque ſubindè vacillantem, in quem cenſoriam cor-

rectionis limã nonunquam collatis diverſorum ſcriptorum ſententiis in conflictum hiſtoriæ commiſſis adjecimus. Neque nudâ contenti enumeratione nominum, ex inſtituto hiſtorico fundatores, fundationúmque chartas, privilegia, fata, & incrementa, aut ſi quid ad priſci, moderníque ſtatûs notitiam facere judicavimus, perindè indicavimus. Nec tamen præſentem materiam pleno fundimus alveo: amplioribus enim ſpatiis hujúſce ſtadii fines conſtituti ſunt quàm qui celeri pede, & quaſi aliud agendo, recte peragrentur. Tempore ad hanc rem, idoneisque ſubſidiis opus eſt, contentione itidem animi, atque judicio non obtuſo, ſi operæ pretium quis facere, & argumentum pro ſui dignitate proſequi, ac expolire voluerit. Adumbratum itàque potiùs (*quantum nempe ad hujuſce rei ſuperficiam notitiam comparandam neceſſe viſum eſt*) quàm perfectum opus ſiſtimus.

Sed hanc licèt Provinciam non niſí deſultoriè peragremus, facilè tamen præ-

prævidemus ex adverſo non deſuturos, qui nobis alicubi operoſiùs, ac fortaſſe odioſiùs, quam nonnullis lubuerit, in jura, fundationéſque ejusmodi Monaſteriorum inquirentibus, ſuſpenſo altiùs ſupercilio illud objici poſſe dictitent, quod *Lyſander* Argivis in controverſiâ de agris adverſús Lacedæmonios juſtiora ſe afferre argumenta jactantibus, gladium ſtringens oggerebat: *Qui hunc tenet, is optimè de finibus diſputat.* Aſt meminerint illi, arma militiæ noſtræ non eſſe carnalia ſed ſpiritualia *ad deſtructionem munitionum, quæ extollunt ſe adverſus ſcientiam DEI*; ídque in animum revocent, Veteres Romanos *DEI Termini, & Minervæ* ſacra eodem fano junxiſſe, veluti bono omine augurati *legum*, & *conſilii* auctoritate non minùs, quàm armis fines defendi, & jura vindicari. *Halicarnaſs. lib. 3. cap. 69.*

Neque verò exiſtimet quiſpiam fruſtrà recoli ſacrarum ædium memoriam in tam exili ſpe recuperandi amiſſas, quique talibus delectetur, ſimilem videri *Æneæ*, qui Carthagine

expreſſam Trojani belli imaginem cernens, - - - *Animum picturâ paſcit inani, Multa gemens, largóque humectat flumine vultum.*

Nemo, *inquam*, mihi hæc oggerat: ſiquidem ultrò compertum eſt, conducere quàm maximè ad exactam rerum notitiam præter diverſarum Provinciarum ſtatum, etiam amiſſa, vel ſuppreſſa cujuſque decora noviſſe, ac jurène, an injuriâ alienis Dominis hæc aut illa pareant, reſcire. In uſu namque rerum verſantibus, aut clavo aſſidentibus iſta notitia incitamento eſt, ut tempori atque occaſioni, vel recuperandi ablata, vel reluendi alienata, vel parta tuendi curatiùs ſtudeant; tùm & attendant iis, quæ haud ità probis artibus texuntur, nè ſenſim Religionis præſidia ſubvertantur, & propriæ ſecuritatis propugnacula tandem ſubruantur; dùm *unius perverſi moliminis felix exitus, ad aliud eſt ſtimulus*: & ſectarum licentia rupto veluti aggere, eò uſque nunc progreſſa abiit, ut DEUS non ſolùm aſſiduis ſollicitandus ſit precibus, *ut fidem noſtram*

ſtram adaugere, verùm etiam rogandus ſit, *ut fides diminuere*, velit; cùm nullo ab hominibus conditis, natíſque tempore, plús fidei, perfidiæque fuerit: uti *Ovenus* pridem *lib. 3. Epigram. 143.* canebat:

Non augenda fides, potiùs minuenda videtur,
Vix cùm ſint homines tot, quot in orbe fides.
Sortitur ſibi quiſque fidem, ſibi quiſque Magiſtrum,
Nunquàm plus fidei, perfidíæque fuit.

Alter, qui ex hoc noſtro labore decerpi poterit fructus, ille eſt, quòd cùm aliàs *Ignoti nulla ſit cupido*, hâc ſuperficiariâ fortaſſis notitiâ ſtimuli addentur, ut illi, quorum ſolemnis eſt in Republicâ auctoritas, juſtitiâ inclamante commoti, Conſcientiæque remorſu, vel divino inſtinctu aliquando compuncti, aſcendant tribunal cordis ſui, veterúmque Principum, & Regum curam, ſtudium, munificentiam ergà loca ſacra imitaturi, *opponant ſe murum pro domo Iſraël*; ac tandem ea, ex diutino vaſtitatis ſitu eruta in DEI ſervitio vigere, & refloreſcere juxtà primorum fundatorum mentem faciant. Sed & iis forſan, quibus jus

 pro

pro Patrum ſuorum hæreditate agendi competit, calcar adjicietur, ut majoribus animis pium hoc negotium aggrediantur, probè edocti *ſummam eſſe rationem, quæ pro Religione facit.* Atque utinàm omnium cordibus tam piæ intentionis, zeli tam juſti, flammulas ingerere poſſem! Felix profectò eloquentiæ obſequium, ac elocatæ in hâc texendâ telâ operæ pretium exiſtimarem. At enim macte animis & virtute; *Manus Domini non eſt abbreviata*; nec quæ modò vigent hæreſes, *ſi ex præteritis de futuro judicandum*, perpetuò vigebunt. Omne quod humana lubito adinvenit, quàmlibet firmum videas, labaſcit tempore Quippe: - - - *Sic omnia verti*
Cernimus, ac alias aſſumere pondera gentes,
Concidere has - - Regnum ſic Medus ademit
Aſſirio, Medóque tulit moderamina Perſes;
Subjecit Perſen Macedo, ceſſurus & ipſe
Romanis

Quidni igitur ea Spes nobis ſuperet? fore, ut - - - - - *pacatâ Numinis irâ.*
Sacrorum tandem redeat fortuna locorum.

Prætereo alia, quæ vel ex ſuccinctâ hâc notitiâ emergere poſſunt commo-

moda; certè quemadmodùm ii, qui veterum ædificiorum ruinas ſpectant, eorum magnitudinem, præſtantiam, pulchritudinem, ordinèmque, ex maceriis metiuntur; ità etiam hodie funeſtam, & cadaveroſam Monaſteriorum vel in uno Archi-Epiſcopatu olim extantium faciem contemplantibus, ubique ſe ſe offert priſca eorum amplitudo, ſimúlque ſuccurrit animo majorum pietas, eorum in rem Monaſticam devotio, Religionis cultus, ſacrorum amor, & indè nata rerum omnium felicitas. Unde & per obliquum ſe ſe ingerit occaſio inquirendi: *Quibus olim modis res Monaſtica tam ampliter prolata fuerit, quibúsve ex cauſis tantoperè nuper acciſa decreverit; quibus etiam titulis ſacri Ordines ſua tueantur, aut ſibi erepta ab aliis repetant, & ſimilia*, per quæ exurrere geſtiret oratio; ſed nolim in captandâ Lectoris aurâ nimìs eſſe occupatus. Profectò non defuêre Viri doctiſſimi, qui vel hâc ex parte literarum incrementis ſuam conſecrarunt operam, illúmque laborem ſibi ſuſcipiendum putârunt, ut hi-

hiſtoriam Monaſteriorum, quæ vel nunc florent, vel olim floruêre, conderent. Hos inter eminent *Wilhelmus Dugdale*, & *Rogerius Dodeſvorthus* in MONASTICO ANGLICANO, cui jungendũ ſupplementum egregii Viri *Ioannis Stevens*, Londini Anno 1722. & *Thomæ Tanneri* Notitia Monaſtica, ibid. 1695. Taceo *Bruſchium*, *Miræum*, *Bucelinum*, *Stengelium*, *Beſoldum*, *Spalatinum*, *Sanderum*, *Schannatium*, alióſque innumeros: Quantùm porrò inſigni diligentiæ *Henrici Friderici Ottonis*, Comitum Hohenloïcorum olim Conſiliarii Monaſteriorum Thuringiæ debeat Hiſtoria; quantùm etiam *Joanni Georgio Leuckfeldio* Gröningenſi Miniſtro *Bursfeldia* referat in acceptis, docent ab iis improbo labore collecta monumenta.

Horum laudabili ſtudio excitati ſunt alii etiam â Romanis ſacris maximè alieni, quorum cura, & vigiliæ indefeſſæ, in concinnandis id genus notitiis, pudorem nobis injicere deberent, ſi otioſas planè mentes à rebus noſtris, æmulandæ pietati ſtudio, recen-

recenſendis abſtraheremus diutiùs. Probè enim perſpectum eſt, quám imperfecta, quantis involuta tenebris, quàm manca multis in locis, ac mutila ſit Civilis pariter, ac ſacra, medii, ſequioríſque ævi hiſtoria, niſi Monaſteriorum notitiis ſuffulciatur. Huic igitur parergo illuſtrando, quod habeo, communico. Si quid me fefellit, aut fugit, ſit venia: nemo ità induſtriâ, aut ingenio valet, ut omnia legat, colligat, intelligat. Spes eſt aliqua fore, ut hic conatus ſit velut prodromus ad majus quodpiam opus, quod meditor, ſub titulo *Lexici Monaſtico-Teutonici* - - Nec vana erit ſpes, ſi modò Viri eruditi, candidi, cordati inſpecto hôc ſpecimine, uná, eadémque operâ voluerint, & cenſuram, & benevolentiam ſuam in nos exercere atque ea inſuſurrare monita, quibus totum quidquid ſupereſt operæ, & emaculari, & augeri, ac expoliri poſſit. Quod ſi ego pro rei dignitate hoc Crinomenon haud æquè ſuſtinuero, aut minùs, quam fortè expectatur, effecero, extabit tamen hoc

vo-

voluntatis meæ ad poſteros teſtimonium, quos ùt exemplo nequeam, ſatis erit exempli conatu ad diligentiorem rerum ſuarum curam ſollicitaviſſe. Sed quia cæteris omnibus tamquam ſigalionibus in ingrato ſilentii templo collocatis, profani Monaſteriorum & fundorum Eccleſiaſticorum incubi nil niſi *pacem Veſtphalicam* in ſui defenſionem crepant; jamque uſu tacito plures ea invaſit opinio, ut exiſtiment, pacificos ejuſmodi bonorum uſurpatores tutò in alienâ pelle quieſcere, nec licere quidem religioſis ordinibus vel contra muſſitare, aut *de evictione* agere; ut porró iſta quoquo modo ſanetur inſania, magíſq; deinceps contra palpum fucúmque ſtetur juſtitiæ & deferatur veritati, nec permittantur ad totîus corporis perniciem invaleſcere, quæ alicubi ex veſano dictamine, vel apertâ vi malè irrepſerunt, declarationem ſum̃i Pontificis, *ſine quo nihil jure de rebus ſacris conſtituitur.* in aciem hîc ſiſtendam duximus. Si enim jactatum ex adverſo fundamentum nullius eſſe roboris demonſtratum fuerit, totam, quæ ſuperſtructa eſt, molem ultrò corruere oportebit. Ita verò habet.

Digitized by Google

SANCTISSIMI
Domini N. D. Innocentii X.
DECLARATIO

Nullitatis articulorum pacis Weſtphalicæ, qui Religioni Catholicæ, Eccleſiis, aliisque locis piis, ac perſonis, & juribus eccleſiaſticis, quomodolibet præjudicant.

INNOCENTIUS PAPA X. ad perpetuam rei memoriam. *Zelo domûs DEi animum noſtrum aſſiduè commovente, in eam præcipuè curam ſedulo incumbimus, ut orthodoxæ fidei integritas, ac Eccleſiæ Catholicæ dignitas & authoritas, ubique ſarta tecta conſervetur, neve eorum, qui quærunt ſua potius, quam quæ DEi ſunt, facto, jura eccleſiaſtica, quorum aſſertores a Domino conſtituti ſumus, aliquod detrimentum accipiant, noſque ſupremo judici rationem villicationis noſtræ reddituri, neglientiæ in credita nobis adminiſtratione arguamur. Sanè cum intimo doloris ſenſu accepimus, quod per plures pacis oſnabrugis die 6. Auguſti 1648. inter chariſſimum in Chriſto filium noſtrum* Ferdinandum *Rom. Regem & Imp. electum cum ſuis Fœde-*

Digitized by Google

rum Imperii, olim Apoſtolicâ auctoritate præfinitus, ſine noſtro & ſedis præfatæ beneplacito augetur, & octavus electoratus in favorem Caroli Ludovici *Comitis palatini Rheni hæretici inſtituitur; aliaque multa, quæ pudet refere, orthodoxæ religioni, ſedique Romanæ, & inferioribus Eccleſiis, cæteriſque præmiſſis, ſummoperè præjudicialia & damnoſa decernuntur.*

Et quamvis venerabilis frater Epiſcopus Neritonenſis (Fabius Chiſius) *noſter & ſedis præfatæ ad Tractum Rheni & inferiores Germaniæ partes Nuncius extraordinarius, in executionem mandatorum noſtrorum, fuerit palam, noſtro & ejuſdem ſedis Apoſtolicæ nomine, proteſtatus: ejusmodi articulos eſſe irritos, nullos, iniquos, ac per non habentes poteſtatem temeré contractos, atque pro talibus ab omnibus habendos; ac notiſſimi juris ſit, quamcumque tranſactionem, ſeu pactionem in rebus Eccleſiaſticis, ſine præfatæ ſedis auctoritate factam, nullam nulliusque roboris & momenti exiſtere; attamen quo efficacius præmiſſorum indemnitati conſultum ſit, pro commiſſi nobis ex alto paſtoralis officii debito, providere volentes, ac inſtrumentorũ utriuſque pacis hujuſmodi,*

omni-

omniumque in aliis contentorum, cæterorumque hic etiam neceſſario exprimendorum & inſerendorum, tenores etiam veriores, & datas, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur præſentibus, pro plene & ſufficienter expreſſis & inſertis habentes; motu proprio, *ac ex certâ ſcientiâ, & maturâ deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, prædictos alterius ſeu utriusque pacis hujuſmodi articulos, cæteraque in dictis inſtrumentis contenta, quæ Catholicæ religioni, Divino cultui, animarum ſaluti, eidem ſedi Apoſtolicæ, Romanæ inferioribus Eccleſiis, ac ordini & ſtatui Eccleſiaſtico, illorumque perſonis, membris, rebus, bonis, jurisdictionibus, authoritatibus, immunitatibus, libertatibus, privilegiis, prærogativis, & juribus quibuſcunq; quomodolibet officiunt, ſeu præjudicium etiam minimum afferunt, aut inferre ſeu intuliſſe, & aliàs nocere, aut nocuiſſe, quomodo dici, intelligi, prætendi, vel cauſari poſſunt, cum omnibus inde ſecutis & quomodocunque ſequendis; ipſo jure nulla, irrita, invalida, injuſta, damnata, reprobata, inania, viribusque & effectu vana, omnino fuiſſe, eſſe, & in perpetuo fore: neminem-*

b *que*

Digitized by Google

que ad illorum, & cujuslibet eorum, etiamſi juramento vallata ſint, obſervantiam teneri : neque ex illis cuiquam aliquod jus, vel actionem, aut titulum coloratum, vel cauſam præſcribendi, etiamſi longiſſimi & immemorialis temporis poſſeſſio, etiam citra ullam interpellationem ſeu interruptionem ſubſequatur, acquiſitum fuiſſe, nec eſſe, minuſve ullo tempore acquiri & competere poſſe, *pro non extantibus & non factis perpetuo haberi debere, tenore earundem præſentium, decernimus, vel declaramus.*

Et nihilominus ad abundantiorem cautelam, & quatenus opus ſit, articulos præfatos, aliaque præmiſſa, ut præfertur, præjudicialia, motu, ſcientia, deliberatione, & poteſtatis plenitudine, penitus damnamus, reprobamus, caſſamus, annullamus, viribuſque & effectu vacuamus, & contra illa, deque eorum nullitate, coram Deo proteſtamur. Et quatenus itidem opus ſit, eaſdem ſedem Apoſtolicam Romanamque & inferiores Eccleſias, ac quælibet loca pia, & quaſcunque perſonas Eccleſiaſticas, adverſus illa, in integrum ac priſtinum, etiam in

quo

Digitized by Google

quo ante prædictam, & quaſcunque aliàs aſſertas ſeu prætenſas anteriores tranſactiones, pactiones, ſeu conventiones circa præmiſſa, ubicunque, & quomodocunque factas, erant, ſtatum reſtituimus, reponimus, ac plenariè redintegramus.

Præſentes quoque literas cum omnibus & ſingulis in iis contentis, etiam ex eo quòd præfati, & quicunque alii, etiam ſpeciali mentione & expreſſione digni & in præmiſſis ſeu etiam aliquot intereſſe habentes, ſeu habere quomodolibet prætendentes, illis nullatenus conſenſerint, nec ad ea vocati, citati, vel auditi, minuſque cauſæ, propter quas eædem præſentes emanarent, deductæ, verificatæ, ſeu aliàs ſufficienter, aut etiam ullo modo juſtificatæ fuerint, nullo unquam tempore de ſubreptionis, obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, aut alio quovis, quantumlibet magno, inexcogitato, & ſubſtantiali defectu, aut ex quovis alio capite, à jure, vel facto, aut ſtatuto, vel conſuetudine reſultante, aut ex quocunque alio colore, prætextu, cauſâ, & occaſione, moveri, impugnari, invalidari, retractari, in jus vel controverſiam revocari, aut in terminos juris reduci poſſe;

ſed

ſed eaſdem præſentes ſemper validas, firmas, & efficaces exiſtere, ſuosq; plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere: Ac ab omnibus & ſingulis, ad quos ſpectat & ſpectabit, quomodolibet in futurũ inviolabiliter obſervari; ſicque & non aliter, in præmiſſis omnibus & ſingulis, per quoſcunque Judices ordinarios & delegatos, etiam Palatii Auditores, nec non S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, ac ejuſdem Sedis Nuncios, & quoſvis alios quâcunque authoritate fungentes, nunc & pro tempore exiſtentes, ſublatâ eis & eorum cuilibet quâvis aliter judicandi, declarandi, & interpretandi facultate & authoritate, ſemper & ubique judicari & definiri debere, ac irritum & inane, quidquid ſecus ſuper his à quoquam quavis authoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Non obſtantibus præmiſſis ac quibusvis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis tam generalibus, quam ſpecialibus, etiam in Comitiis univerſalibus editis, quatenus opus ſit, noſtrâ & Cancellariæ Apoſt.

re-

regulâ, de non tollendo jure quæſito, *& conſtitutione fel. record.* Pii Papæ V. *prædeceſſoris noſtri*, de gratiis qualecunque intereſſe Cameræ Apoſt. concernentibus intra certum tunc expreſſum tempus in eâdem Camerâ præſentandis & regiſtrandis, *ita ut præſentes nullo unquam tempore in eâdem Camerâ præſentari ſeu regiſtrari neceſſe ſit: Legibus quoque imperialibus & municipalibus, necnon quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis ſtatutis, uſibus & conſuetudinibus etiam immemorabilibus; privilegiis quoque indultis, conceſſionibus, & literis Apoſtolicis, quibuſcunque locis & perſonis, etiam* Imperiali, Regali, & aliâ quavis ſive Eccleſiaſticâ, ſive mundanâ dignitate fulgentibus, & aliàs quomodo libet qualificatis, ac ſpecialem expreſſionem requirentibus; *etiam motu, ſcientiâ, deliberatione, & poteſtatis plenitudine; ſimilibus etiam conſiſtorialiter, ſub quibuſcunque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & inſolitis clauſulis & decretis etiam irritantibus, & aliis quomo-*

do-

dolibet in contrarium præmiſſorum conceſſis editis, factis, ac pluries & iteratis vicibus confirmatis, approbatis & innovatis.

Quibus omnibus & ſingulis, etiamſi pro ſufficienti illorum derogatione, de illis eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, individua, ac de verbo ad verbum; non autem per clauſulas generales idem importantes, *mentio ſeu quævis alia expreſsè facienda, aut alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum inſerti eſſent præſentibus, pro plenè & ſufficienter expreſſis & inſertis, formamque in illis traditam pro ſervatâ habentes, ad præmiſſarum effectum, ſpecialiter & expreſſè derogamus, ac derogatum eſſe volumus, cæteriſque contrariis quibuſcunque.*

Volumus autem, ut earundem præſentium tranſſumptis, etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſticâ conſtitutæ munitis, eadem prorsùs fides ubique locorum & gentium, in judicio, & extra illud adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Da-

Datum Romæ apud S. Mariam major. ſub annulo piſcatoris, die XXVI. Novembr. MDCXLVIII. Pontificatûs noſtri anno quinto, & ſolenniter ibidem publicatum 3 Januarii A. MDCLI. Pontificatûs noſtri octavo.

Hujus porrò declarationis Pontificiæ annis ſingulis *in Cæna Domini* fit innovatio, ſolenni in hæreticos, eorumque fautores vibrato anathemate. Nullus autem iverit inficias, *Pontificem poſſe in Reges & Principes jus dicere*, niſi qui illos inter Chriſti Oves non eſſe numerandos amens dixerit. Si enim Principes iidem ſint ex Ovili Chriſti, de iis utique dictum Petro uti de cæteris: *paſce Oves meas.* Sed & ſingulari vinculo Pontificibus obſtricti ſunt Cæſares, Epiſcopi, & ſtatus Eccleſiaſtici. Jurat enim futurus Imperator Romano Pontifici *veram obedientiam*, ſpondetque *ſe protectorem atque defenſorem fore ſacræ Rom. Eccleſiæ cuſtodiendo & conſervando poſſeſſiones, honores, jura*--- Epiſcopi pariter Sacramento fidem ſanciunt, *ſe authoritatem Rom. Eccl. & Pontificis conſervare, defendere & promovere velle* - - - Hoc autem jusjurandum ſimpliciter & citra omnem exceptionem exigere Innocentianæ Bullæ obedientiam ſanus nemo facilè negaverit. Quod ſi huic fidem roburq; denegare animo non inſidet, res noſtra habetur deciſa, *pacem illam*, cui raptores pacifici totum ſuum ſuperſtruunt ædificium, *nullius planè eſſe roboris*

ris aut momenti; ac proinde nec quicquam juris de meteoriſmo ſuo ipſis bonorum Eccleſiaſtico-rum incubis affricare poſſe.

Nec eſt quòd ad hanc adverſæ partis arcem ſubruendam plura congeram momenta, poſtquam viri eruditi, jam omni argumentorum mole demonſtrârunt ejuſmodi pacem, aut quamcúnque ei ſimilem ex ſuo genere illicitam eſſe & irritam: Quia nimirùm *Hæreſi tum directè, tùm indirectè cooperatur. Infert injuriam Creatori & veræ religioni. Eſt cauſa perditionis animarum. Eſt uſurpatio poteſtatis non competentis. Repugnat officio & jur amento Cæſaris, ſtatuumque Catholicorum, maximè Epiſcoporum. Eſt fruſtratoria, ipſoque bello periculoſior, dùm ſovet hæreticos. quos ſanè magis timeas amicos, quam hoſtes. Abſque comparatione eſt magis inordinata mendacio, quod neceſſitatis cauſâ licere negant Catholici.* Denique, ut alia taceam, *Eccleſiæ Dei, ſummorum Pontificum. Imperatorum, SS. Patrum & Veterum Doctorum ſuffragio deſtituitur & damnatur.* Quæ ſingula ſigillatim & ſolidè ex principiis Chriſtianis deducit perſonatus *Erneſtus de Euſebiis* in ſuo hâc de re judicio Theologico. Sed hæc & ſimilia hoc loco fuſiùs proſequi non patitur inſtitutum; ideoque ad rem propoſitam animus & calamus rectà anhelant.

Succincta

SUCCINCTA
Veterum Monaſteriorum in Archi-Epiſcopatu Moguntino, viciniſque locis, partim extantium, partim ſuppreſſorum
NOTITIA,
Ordine Alphabetico digeſta.

A.

ABRINSBERGENSE, ſeu *Aberinesberg*, & *Abrinsberg* vel Heiligen Berg / aliàs *Mons Abrahæ*, *Mons Sanctus*, vetus propè Heydelbergam in colle leniter aſſurgente. O. S. B. Cœnobium, quòd à *Gerardo* Laurishamenſi Abbate in honorem S. Michaëlis circà annum 891. conſtructum, *Conradus I.* Rex anno 912. rebus proprietatis ſuæ munificè locupletavit, *ad ſanctum hunc locum*, ùt vocat, *tradendo quidquid* FOLCMAR *proprietatis viſus eſt habere in marchâ & in villâ Hanscuhesheim nuncupatâ cum domibus, ædificiis, mancipiis, vineis, campis, agris &c.* apud Tolnerum *in Cod. diplom. XVI. pag.* 12. Hòc porrò

Digitized by Google

Monaſterium pluribus fundis deinceps auctum Reginaldus Laurishamenſis itidem Abbas de conſenſu Henrici II. Imperatoris in Abbatiam erexit circà annum 1023. Diploma Cæſareũ eô tempore datum, quô ordinationem novi Monaſterii Abrinsbergenſis confirmat, exhibet Freherus. Aliud Henrici IV. Imperatoris quo bona Cellæ S. Stephani juxtâ Monaſterium S. Michaëlis in Monte Sancto ab Anſelmo Laurishamenſi Antiſtite conſtructæ confirmat, anno 1093. datum, repræſentat Lünigius. ALBERTUS & RUDOLPHUS Auſtriæ Duces anno 1286. donationes Eccleſiæ S. Jacobi in Heiligen-Berg à Kiburgi Comitibus factas laudârunt. In turpi Religionis diſſidio ab ordine avulſum, pios hodie vindices reſpirat. Ejus meminêre prolixius Freherus *Orig. Palat. P. 1. pag.* 174. Pareus *in Hiſt. Palat. pag.* 432. *&c.* Concilium verò Moguntinum de anno 888. Cap. VI. appoſitè decernit: *Ne cui liceat res vel Facultates Eccleſiis aut Monaſteriis pro quâcunque Eleemoſinâ cum juſtitiâ delegatas retentare, alienare, atque ſubtrahere. Quiſquis fecerit, tanquam necator pauperum, antiquorum Canonum ſententiis conſtrictus, ab Eccleſiæ liminibus excludatur, donec ab ipſo retenta reddantur.*

ADELBERGENSE, Ord. Præmonſtratenſis Monaſterium ad Rhenum in Ducatu Wirtenbergiæ conditum anno 1181. à *Volknando* Barone *de Stoyſen & Eberſperg*, auſpiciis *Friderici I.* Imperatoris, variis Privilegiis exornatum: Ejectis

circà annum 1565. qui Catholicam Religionem retinebant, Monachis, novus Auguſtanæ Confeſſionis Abbas *Chriſtophorus Binder* intruſus eſt: cui deindè alii, & alii fanaticâ Religione pares ſucceſſerunt uſque ad annum 1630. quô demùm quaſi nova lux Catholicis affulgere viſa eſt per totam non ſolùm Wirtembergiam, ſed & univerſam ſuperiorem Germaniam, dùm ſcilicèt prævalente Auguſtiſſimo Cæſare FERDINANDO II. Eccleſiæ, & Monaſteria ſuperiori durante ſæculo ab hæreticis iniquiſſimè ſubtracta, paſſim fuêre in integrum reſtituta. Sed heu! non multò pòſt illa rurſus eripuit famoſa pax Weſtphalica Cæſarem inter & Svecum anno 1648. ſtabilita, vi cujus Celeberrimum hoc Adelbergenſe Cœnobium, cum cæteris in Ducatu Wirtenbergico conſtitutis, tolerativè ſuo Principi manet in uſus profanos obnoxium. *De eo plura Sant-Mauriani in Galliâ Chriſt. To. V. pag. 1109. Diplomata vide recenſita in Petri Georgiſch indice, verbo:* Adelberg-Cloſter.

S. AGNETIS, Ord. Ciſt. in foro gentili Urbis Moguntinæ cœpit ſub annum 1290. auctore *Conrado* zum Korb/ è Patritiâ Laydekerorum apud Mogonos gente; fuitque in Ciſtercienſium obſervantiâ uſque ad tempora *Wolfgangi* Archi-Epiſcopi, qui Ciſtercienſibus ſubrogavit Moniales ex S. Auguſtini normâ viventes, abrogatâ circa annum 1573. Abbatiali dignitate. Quâ in obſervantiâ hodiéque viget.

Digitized by Google

ALBA-DOMINARUM. vulgò Frawen Alb: celebris olim in Spirenſi Diœceſi Virginum Ord. S. Bened. Parthenon circa an: 1134. Authore *Bertholdo* comite *de Eberſtein* fundatus, totus ferè præter Eccleſiam igne fortuito in cineres redactus eſt anno 1508. Tum verò ſæviente ruſticano tumultu an. 1525. direptus, dein a Marchione Badenſi A. 1624. violenter occupatus, inde an: 1630. ordini reſtitutus, poſt pacta denique Weſtphalica rurſùm ademptus, & in hanc uſq; diem deſertus, nullum priſtini honoris veſtigigium tenet... *Franciſcus Petrus in Svevia Eccl.*

ALBA-DOMINORUM vulgò Herren-Alb nobile quondam Ciſterc. obſervantiæ Cœnobium in Ducatu Wirtembergico ſitum ad Albæ fluminis ſcaturiginem, fundatum legitur anno 1148. à *Bertholdo* comite *de Eberſtein*, & *Uthâ* Conjuge. *Philippus Deganus* electus anno 1556. primus à fide defecit ſub *Chriſtophoro* Duce Wirtenbergico. Poſtquàm verò anno 1630. Monaſterium Ordini reſtitutum fuit, ad illud regendum ex Salemitano miſſus eſt Abbas *Nicolaus Breneiſen* cum aliquot fratribus indè etiam aſſumptis. Verùm anno 1648. è Cœnobio ſuo abductus eſt captivus, in eóque miſero ſtatu ultrà annum permanſit, ac denique uti jam diximus, Catholicâ Religione iterùm proſcriptâ, Monachi hinc abire juſſi ſunt -- Diplomata vide indicata apud Georgiſch *in indice*, verbo Alb-Cloſter.

Digitized by Google

S. ALBANI Moguntiæ in *Monte - Martis* inclytum pridem Ord. S. Benedicti Monaſterium regalibus à *Trithemio* adnumeratum, à *Riculfo* Archiepiſcopo, ſumptus præbente CAROLO MAGNO, erectum, & in honorem Salvatoris, Sanctíque Albani annô 805. Calendis Decembris conſecratum, tanta ab ipſis ferè incunabulis ſumpſit incrementa, ut Moguntinenſes Præſules, ac plerique Proceres illîc certatim ſepeliri voluerint. Ibi FASTRADA Regina tumulata legitur; iſthìc HERIOLDUS Danorum Rex cum uxore, multóque ſuorum comitatu ſacri baptiſmatis undâ perfuſus eſt circà annum 826. Celebris ibidem floruit Academia, ex quâ innumeri prodiêre Viri Scientiarum cultu nominatiſſimi. Viguit hoc Cœnobium in obſervantiâ Benedictinâ ad annum 1419. *quo tandem*, ùt loqui amat Trithemius, *ex malis Monachis, facti ſunt pejores Canonici*. - Abbatum ſeriem exhibent Patres Congregationis S. Mauri *in Gallia Chriſt. To. V. pag. 573. Confer. Chriſt. Joannis de rebus Mogunt ...*

ALBIBURGUM, ſeu *Album-Caſtrum.* vide *Weiſſenburgum ...*

ALSPACENSE olim Virorum Ord. S. B. propè *Keyſerberg* in Alſatiâ Diœceſis Argentinenſis, à quibus deſertum, ut ſe ad Hirſaugiam reciperent, ceſſit authoritate & beneficio *Rudolphi* Imper.

ſub finem ſæculi XIII. ſacris Virginibus Ord. S. Claræ, vulgò *Urbaniſtis.* Ex eo ſuam maximè ducit gloriam hic Parthenon, quod hæreſi non modò fuerit impervius, ſed etiam benignè foverit, quotquot ejuſdem Ordinis Virgines ex Urbibus infectis hæreſi propulſæ fuerant, vel ibidem permanentes infici metuebant.

ALSPERBACH ſeu *Alpirſpach* in Ducatu Würtembergico à *Rutmanno de Huſin*, *Alberto de Zolvo*, & Comite *Alewico de Sulzo*, annô 1095. fundatum; à PASCHALI II. Pont. Max. A. 1101. confirmatum, variíſque deinceps Privilegiis auctum, atque à CAROLO V. annô 1530. pluribus exemptionibus ditatum, viguit uſque ad tempora mutatæ Religionis --- Ejus diplomata vide recenſita in *Petri Georgiſch* indice, verbo: *Alpirſpach*-Cloſter.

ALTA-SYLVA Ciſtercienſis obſervantiæ Cœnobium, cujus mentio occurrit in veteri diplomate apud *Chriſt. Joannis in Spicilegio pag.* 165. Nec plura nobis comperta ---

ALTENBERGENSE Monialium Præmonſtratenſis Ord. propè Wezlariam ſitum; cujus integra extat hiſtoria *in Thuringiâ Sacrâ, pag.* 296. Annô 1724. Margaretha Catharina *de Calemberg* ædificia Conventûs ulteriùs reparavit. ..

ALTITONA. vide S. OTHILIÆ MONS---

ALTORFIUM ſive *Altum-Cœnobium* in Alſatia

propè Molsheimium O. S. B. ſub titulo S. *Cyriaci* Monaſterium, cujus Fundatores A. 966. fuêre conſangvinei *Brunonis*, poſteà Epiſcopi Tullenſis, ac demùm ſummi Pontificis, ſub nomine *Leonis IX.* Exuſtum fuit hoc Cœnobium tempore belli Argentinenſis circà A. 1260. Sed non multò pòſt reſtauratum eſt. Acceſſit deindè Congregationi Bursfeldenſi ſub A. 1459. Eidémque rurſus nomen dedit annô 1607. auctoritate Cardinalis *Caroli à Lotharingiâ* Epiſcopi Argentinenſis. Nunc ſpectat ad Congregationem Alſato-Benedictinam. Plura de eo *Tom. V. Galliæ Chriſt. pag. 878.*

ALTZEJENSIA in Palatinatu Rheni tria numerantur majoris olim celebritatis Collegia:

Primum *Antonitarum* in ipſa Urbe Altzeiâ multæ vetuſtatis phrontiſterium.

Aliud à Patribus Eremitis, qui Divi Auguſtini inſtituta ſequuntur, inhabitatum fuit.

Tertium Ord. Ciſterc. extrà urbem *S. Joannis* honoribus ſacrum erat. Quæ ſingula hodie in uſus profanos abiêrunt.

ANALESBERGENSE Ord. S. B. in Alſatiâ Cœnobium, quod *Baltranus* Lutrenſis in Diœceſi Veſontinâ Abbas ſæculo X. condidit; ſed quia de loci ſubjectione duo vicini Epiſcopi, *Metenſis*, atque *Argentinenſis* concertare cœperunt, Religioſi loco deſertò ad Lutram, cum bonâ OTTONIS *Regis* veniâ ſe receperunt - - -

ANDLAVIUM, seu *Andlavia* ſequioris ſexûs nobilium O. S. B. in Alſatiâ ad ejuſdem nominis amnem & Voſagi montes Cœnobium, in honorem S. Fabiani, & S. Felicitatis pro XII. puellis, totidémque viris à RICHARDA Scotorum Regis filiâ, CAROLI Craſſi conjuge circa A. 887. fundatum. Modò Canoniſſæ Sæculares illud domicilium incolunt; ſoletque Abbatiſſa ad Imperii Comitia per Legatum comparere. Titulum *Principis Imperii* Carolus V. Imperator ei conceſſit A. 1521. Seriem Abbatiſſarum videſis *Tom. V. Galliæ Chriſt. pag.* 880.

ANHUSIUM O. S. B Diœc. Aug. à *Magnegoldo* Comite Tubingano, & *Walthero* Epiſc. circa an. 1125. fundatum, ab *Honorio II. &c. Pont.* confirmatum, à Duce Wirtenb. 1579. Lutherizatum, Ordini anno 1630. operâ *Caroli Stengelii* Abb. redditum, poſt pacta Weſtph. ad raptores pacificos rediit. *Suevia Eccl.* 89.

ARNESBURGENSE, ſeu ARNSBURGUM aut *Caſtrum Aquilæ* Ciſtercienſis obſervantiæ in Weteraviâ, quinto circiter ab Urbe Francofurtenſi lapide, in finibus Diæceſis Moguntinæ, haud procul ab *Eicht* ſitum, à Comitibus de Solms A. 1197. fundatum, & pro ſepulturâ delectum, miſeré à Svecis circà Annum 1643. oppreſſum vix non interiit. Quòd veró extiterit olim ſub protectorio ſedis Moguntinæ, liquet ex *Caroli* V. diplomate apud Lunigium Reichs-Archivs *contin.*

Digitized by Google

1. *Spic-Eccl. pag.* 227. Quamobrem hodieque Archiepiſcopus Moguntinus jus in illud Cœnobium, ejúsque pertinentias prætendere dicitur. *Vide Schwederi Theatrum prætenſion. Illuſtr. Tom.* 1. *pag,* 809. Confer. ex adverſo *Roberti Kolb* ejus loci Abbatis *Aquila certans pro immunitate &c.* Francof. 1687. in fol.

B.

BICHANIA Virorum Ord. Ciſterc. inclyta pridem in Palatinatu Abbatia. de quâ *Chriſt. Joannis in Spicilegio. pag.* 165. *Jongelinus in notitiâ monaſteriorum Ciſtercienſium.*

BISCHOFHEIMIUM, ſeu *Epiſcopi-domus*, Parthenon ſub inſtituto Benedictino ad Tuberam in Diæceſi Moguntinâ à *S. Bonifacio* in gratiam *Liobæ* ſibi ſangvine junctæ circà annum 748. conditus Franciſcanæ familiæ alumnis ab *Anſelmo Caſimiro* Moguntinenſium Archiepiſcopo ſub A. 1636. ceſſum fuit. *Browerus Antiqv. Fuld. libr.* 2. *cap.* 10. *Gallia Chriſt. Tom. V. pag.* 589.

BLANCKENAW. S. Mariæ Ciſtercienſis obſervantiæ Virginum in Thuringiâ Gynecæum à *Berthoo* Fuldenſi Abbate circà annum 1265. fundatum; viguit uſque ad annum 1567. quo communi aliorum fato eſt involutum. Abbatiſſas exhibent ſanct-Mauriani *Tom. V.* Gall. *Chriſt. pag.* 600.

BLAUBYRA, aliàs *Blaubyrium*, & *Burrhonium* à blavo fonte dictum, duobus ab Ulmâ Sveviæ Metropoli milliaribus diſſitum. Conditum eſt hoc Monaſterium ſub patrocinio S. Joannis pro Regulæ Benedictinæ Alumnis anno 1095. Congregationi Bursfeldenſi circà A. 1456. acceſſit. Fugatis, & expulſis indè Monachis, ſed dein authoritate CAROLI. V. reſtitutis, *Chriſtianus* Abbas circa annum 1548. præfuit uſque ad annum 1551. quô iterùm exulare cogitur cum ſuo Conventu, intruſis in locum ejus acatholicis. At verò tandem reſtitutis à *Ferdinando II.* Imperatore Wirtembergiæ Cœnobiis, iſthuc circà annum 1630. Monachi Benedictini iterùm reverſi ſunt. Verùm *Raymundus Rembold* Weingartenſis ibidem Abbas, denuò cum ſuis vi ejectus eſt anno 1649. Patres unionis Bursfeldenſis crebriùs olim pro juſtâ illius reſtitutione inſtiterunt, ſed *vana ſine viribus ira* - - -

BLIDENSTATENSE, ſeu *Lætantium*- *Locus* celebre quondam Ord. S. Benedicti Monaſterium in honorem S. Ferrucii à *B. Lullo* Moguntinenſi Archiepiſcopo in vico *Bleidenſtatt*, duobus à Moguntiâ milliaribus ultrà Rhenum ſito circà annum 777. excitatum; progreſſu temporis ad *Regalis Abbatiæ* dignitatem evectum. Denique ab *Alexandro VI.* falſis narrationibus inducto in ſæculare Canonicorum Collegium eſt mutatum anno 1495. hodiéque inter hæreticos fidem Catholi-

li-

ſicam retinet *Bucelinus*, & ſant. Mauriani *Tom. V. Gall. Chriſt. pag.* 530.

BOSAVIENSE *ad Cizam*, vide POSAVIUM.

BRAIDNAUGIENSE, ſeu *Breidenawenſe* B. Mariæ Ord. S. Benedicti Monaſterium Diæceſis Moguntinæ in finibus Haſſiorum ad *Fuldæ*, & *Vernæ* confluvia ſitum, cujus Fundator *Wernherus* Comes Gröningenſis anno 1121. mortuus ibidem ſepelitur. Unioni Bursfeldenſi acceſſit circà annum 1497. ſub quâ in omni flore viguit uſque ad an. 1549. quo Abbas & Monachi ab hæreticis indè pulſi ſunt--- *Bucelinus*, *Miræus &c.*

BREITTINGENSE, ſeu *Breytungen*, Benedictinum Congregationis Bursfeldenſis Monaſterium in Diæceſi Moguntinâ, & Comitatu Königsbergenſi ſitum, olim Hirsfeldenſi Archiſterio obnoxium, iniquam ſortem cum aliis ſuſtinuit circà annum 1550 ---

BURGELINENSE Ciſterc. obſervantiæ Cœnobium in Thuringiâ, medium inter Jenam atque Eiſſenbergam poſitum, cujus brevis extat hiſtoria in *Ottonis Thuringia Sacra p.* 753 --- Diplomata recenſet *Petrus Georgiſch* in indice V. *Bürgel.*

BURSFELDENSE, ſeu *Bursfeldia* celeberrimum pridem O. S. B. ad Viſurgim intra Wernæ, & Fuldæ confluentes, in Ducatu Brunsvvicenſi,

ac

ac in finibus PaderbornenſisDiæceſis, ubi Archiepiſcopi Moguntini jurisdictio deſinit, Monaſterium, Fundatoribus *Henrico* Comite deNortheim in Saxonia, & *Gertrude* ipſius Conjuge *Ecberti* I. Marchionis Saxoniæ filiâ anno 1093. conditum, fundationem ratihabente *Ruthardo* Mog. Archiepiſcopo in frequent i ProcerumConventu eo temporeHelingenſtadii celebrato. Sacer eſt hic locus S. Thomæ & Nicolao, & indè quidem celeberrimus evaſit, quòd ab eo ſuſcepta circà A. 1435. noviſſima Ordinis Benedictini per Germaniam reformatio, vocabulum acceperit, ſub titulo *Congregationis Burſfeldenſis*, quæ jam Tritthemii temporibus centum Monaſteria complectebatur, quindecim verò ſuprà centum ſuâ ætate numerabat *Bucelinus*, quorum præſes Generalis, ac veluti vertex erat Abbas Bursfeldenſis. Stetit verò hoc Cœnobium in ſuo flore usque ad ſæculum XVI medium, quo mutatæ religionis turbine abſorptum eſt. Neque porrò id hactenùs evincere potuerunt reliqui ejus Sodalitii Abbates, ut ad corpus, à quo divulſum eſt, rediret, quanquàm in hunc uſque diem ejus recuperandi animum prodiderint. Extat integra ejus hiſtoria in Leuckfeldii *Antiquitatibus Burſfeldenſibus*, *& in Galliæ Chriſt. Tom. V. pag.* 652. *Georgiſch in Regeſto diplomatum art.* BURSFEL. *diplomata indicat* - - -

Ca-

C.

CAPELLA Altæripæ filia ditiſſimum olim Helvetiæ, Diæceſis Conſtantienſis ſub Regulâ S. Benedicti Virorum Monaſterium haud procul *Tugio* in loco peramæno ſitum, quod *Waltherus Baro ab Eſchenbach* circà A. 1185. condidit, multíſque prædiis ditavit; cum mutatione religionis ſæcularibus ceſſit, parétque hodie Reipublicæ Tigurinæ. *Bucelinus & ſan-Maur.*

S. CATHARINÆ puellare Ciſterc. obſervantiæ Monaſterium juxtà pagum, qui vernaculâ *Mannthal*, corruptè *Mandel*, latinè *vallis Virorum* appellatur, uno ferè milliari Crucinaco Sponheimium verſùs diſſitum, quod fundatum legitur A. 1219. per munificentiam *Godefridi* Crucenacenſis Præpoſiti, *Udonis* Archypresbyteri de Mandal, & *Friderici* Decani Hilbersheimenſis, qui viſione cujuſdam defuncti ad vitam revocati præmoniti, ac zelo Dei ſuccenſi, proprietates ſuas contulerunt in unum, atque præfatum gynecæum liberaliter dotârunt, impetratâ ab *Honorio III. Pon. Max.* & à *Sifrido* Moguntinæ Sedis Archiepiſcopo ſuæ dotationis confirmatione, cujus apographum nobis repræſentat TRITHEMIUS *in Chron. Sponheim pag.* 266. ex quo illam quoque tranſcripſit Annaliſta Ciſtercienſis --- Etſi verò nulla ferè ejus hodie ſit ſpecies, redditus tamen benè pingves ſibi vendicat laicus admodiator. Subeſt Crucinacenſi præfecturæ, quam in

Palatinatûs Rhenani majoribus annumerari probè cognitum eſt. Hodiè populari ſermone audit die *Catharinæ* ſchaffnerey, qui terminus nuper excogitatus ad palliandam bonorum Eccleſiaſticorum uſuram--- *Conſer. Chriſt. Joannis notas ad Serarium. pag. 591.*

CELLA-PAULINA Ord. S. Benedicti in Thuringiorum finibus, Diæceſis Moguntinæ Virorum Monaſterium ſic dictum à ſuâ Fundatrice *B. Paulinâ*, inibi ſepultâ die 14. Maji A, 1107. ad quod ex Hirſaugia primus Abbas, cum aliis decem Monachis, *Gerungus* miſſus legitur. Congregationi Bursfeldenſi circà annum 1480. aſſociatum, viguit uſque ad turpe religionis diſſidium, quo patrimonium Crucifixi in commercium ceſſit profanum.

CELLA S. SIGISMUNDI proximè Rubeacum in Alſatiâ Diœceſis Argentinenſis Ord. S. B. Virorum Cœnobium, quod tempore Dagoberti II. Auſtraſiorum Regis excitatum legitur, eique primus Abbas præfuit IMMERIUS vir doctrinâ non minùs, quàm virtute celebratus, cujus emortualis annus ſignatur 668. Monaſterii rebus in deteriora prolapſis, in Præpoſituram S. Georgii Monaſterio in Herciniâ Sylvâ obnoxiam degeneravit anno 1238.

CLARETHAL, ſeu *Vallis S. Claræ* non prorſùs incelebre Sanctimonialium Ciſterc. obſervantiæ Par-

Parthenotrophium, haud longè a Linangi Urbe diſſitum, in uſus promiſcuos cum reliquis in Palatinatu Cœnobiis haud ita pridem abiit.

CLINGENSE vulgò *ClingenMünſter*, ſubindè *Plidinſeldenſe* opulentiſſimum quondam Virorum O. S. B. Monaſterium in *Germersheimenſi* diſtrictu, & Diæceſi Spirenſi, haud procul a Landaviâ, nec plùſquàm duobus à Weiſſenburgo milliaribus diſtans, in agro frumenti & vini feraciſſimo, quadratis lapidibus conſtructum, ſuam originem refert ad *Dagobertum* Auſtraſiæ Regem. Iſthuc autem *Carolus Magnus* ex Urbe Româ Reliquias tranſtulit *S. Theoduli* Presbyteri & Mart. *Alexandri* Papæ ſocii. Effulſit quoque *Rabani* Archi Epiſcopi eximia in Clingenſe Monaſterium pietas, cujus alteram ſaltèm Baſilicam incendio conſumptam in integrum reſtituit; uti diſcimus ex *Rabani* verſibus *in Eccleſiâ Monaſterii, quod dicitur Clinga*, inſcriptis; ubi inter alia hæc leguntur:

Per plures annos combuſtus manſit ineptè
Hic locus, & nullus jam reparavit eum.
Indignus donec Chriſti compunctus amore,
Rhabanus Præſul, hunc renovandum adiit.

Cæterùm hoc Monaſterium non nihil à Benedictina obſervantia devium anno 1452. reformare voluit *Theodoricus* Archi-Epiſcopus Moguntinus juxta Burſfeldenſium inſtituta, ſed fruſtrà fuit: ſiquidem referente *Trithemio* in Chronico Sponheim. Pag.

pag, 402. *per diſpenſationem ſummi Pontificis, narrationibus ſalſis impetratam, cùm nihil aliud fuerit in cauſâ, quàm timor obſervantiæ regularis, in ſæculare Collegium abiit anno 1491. Verùm non diu Poſteà Dux apoſtatantium Abbas* Evcharius de Weingarten, *morte horrendâ ſublatus eſt, ſicut frequenter omnes talia contrà DEum, & mentem Fundatorum præſumentes, mori conſveverunt.* Plura de hoc Monaſterio Sant Mauriani *Gall. Chriſt. To. V. pag. 748. Bucelinus &c.*

CLOSTERCUMB apud Cynonotos haud procul ab oppido *Simern* non prorſùs ignobile Virginum, ut ferunt, Monaſterium, de quo tamen nihil præter nomen compertum tenemus --- *Ex notitiis R. P. Benedicti Præpoſiti in Planich.*

CLOSTERHERTZENSE ditiſſimum olim Canonicorum Regularium S. Auguſtini Collegium ſeſqui horâ ab Urbe Gemersheimenſi diſſitum, ſuis hodie ſub ruderibus jacet, proventibus in alienos uſus converſis ---

CLUSA Monialium Ord. S. Benedicti à *Bernhelmo* Sponheimenſi Abbate in gratiam Sororis ſuæ *Mechtildis* ad plagam occidentalem Sponheimenſis Cœnobii anno 1125. erecta, ſupreſſa eſt per *Ivanum* Abbatem A. 1224. translatis Monialibus in montem S. Ruperti propè Bingas. *Tritbemius Chron. Sponh. pag. 258. 261. & 267.*

COLLEDA Ciſtercienſis obſervantiæ, Diæceſeos

Moguntinæ, in ejus nominis apud Thuringos oppido, puellare Cœnobium, quod an. 1266 annuente *Wernero* Moguntino, & diſponente *D. Henrico* Venerando Abbate Hirsfeldenſi, per *Sanctimoniales Griſei Ordinis Sancti Benedicti miſſas de Monaſterio, quod Lacus*, vulgo *Frawenſee* appellatur, inhabitari cœpit. A Comitibus Beichlingicis pluribus auctum facultatibus, viguit ad annum 1525. quo ruſticorum inſultibus grave ſuſtinuit damnum; vires tamen iterùm collegit, lacertóſque movit Religioſarum cœtus ad annum 1554. quo *Auguſtus* Saxoniæ Elector rei Monaſticæ finem imponens, ultimâ tùm exiſtente Abbatiſsâ *Sophiâ de Schaffstet*, proprietatem Cœnobii Senatui Colledano vendidit; cenſus verò Scholæ Urbis Saltzenſis puellis deſtinatæ legavit. Reliqua ejus monumenta exhibet Otto *in Thuringiâ ſacrâ p. 541.*

CONRAZBURGENSE Ord. S. Benedicti in Haſſia & Diæceſi Moguntinâ, idem fortaſſe, ac *Conradesburg* quod *Conradus I.* Archi-Epiſcopus anno 1191. ſtabilivit, quódque ad unionem Bursfeldenſem acceſſit anno 1469. Ab Ordine Monaſtico defecit inter Religionis turbines, vixque priſci decoris veſtigia hodie retinet.

CORONA-MARIÆ, vulgò Marien Cron/ & *Rechenhofen*, in Diæceſi Spirenſi Virginum Ciſterc. Ord. aſceterium, circà annum 1240. fundatum

à Comitibus de Witzenſtein, ſtetit ad annum 1563. quo à Duce Wirtembergico occupatum fuit; deindè tamen cum aliis *Ferdinandi II.* Cæſaris decreto reſtitutum eſt, ad quod anno 1637. *Chriſtophorus* Abbas Mulbrunenſis *Evam Reginam Springüſſin* Prioriſſam Lucidæ-Vallis Abbatiſſam deſtinavit: Sed propter loci devaſtationem, & inſurgentes novas perſecutiones à poſſeſſione paulò poſt receſſêre Moniales - - -

CRUCINACENSIA in Palatinatu ſex recenſentur. Primum Ordinis B. M. V. de Monte Carmelo, quod poſt multas calamitates tandem reſtitutum, hodie maximè viget.

Aliud Minorum de obſervantiâ, quod anno 1480. per *Fridericum* Palatinum, cooperante fidelium oblatione fundatum prodit *Trithemius in Chron. Sponheim. pag.* 392. qui addit pag. 397. *Fratres locum cœpiſſe primùm incolere anno* 1484. Hodie quoque ſuo in flore viget, quia opibus caret, ita: *Cantabat vacuus coram latrone viator.*

Tertium Monialium S. Auguſtini, *Divi Petri* honoribus ſacrum, cujus ultima Abbatiſſa *Othilia* proventus fiſco addicere coacta fuit.

Quartum Monialium O. S. Benedicti ad S. Martinum, vulgò *Martinsberg* extrà Urbem versùs Bretzenheimium, non niſì rudera oſtentat.

Quintum in inſula B. M. Virg. honoribus ſacrum

ctum, à *Dagoberto* Rege fundatum, in Collegiatam Eccleſiam ſubindè abiit, ac demùm interiit.

Sextum S. Chiliani extrà urbis mænia verſùs oppidum *Planich* vix maceries reliquas habet.

D

DALHEIMENSE puellare Ord. Ciſterc. Monaſterium, propè Moguntiam, aliàs *Sanctæ Mariæ in ſacra valle* appellatum, in ſuo vigore perſeverat. De *eo plura Serarius in Moguntiacis.*

DEYMBACENSE Ciſtercienſis obſervantiæ Monaſterium, quòd *Ioannes* Abbas Diſibodibergenſis ſub annum 1499. ad priſcum integritatis uſum revocâſſe legitur. Nec plura de eo avara antiquitas.

DISIBODIBERGENSE, vernaculâ *Diſibodenberg*, contractè *Diſenberg* nuncupatum, vetuſtiſſimum, ac omnium, ut creditur, primum Ordinis Sancti Benedicti in Germaniâ Monaſterium, Diœceſis Moguntinæ, in peramæno, ac ſylvifero Monte ad confluentes Glani, & Navæ fluviorum leniter aſſurgente, Standerheimio non procul, olim in Sponheimenſi Comitatu, nunc in finibus Bipontini Ducatûs ſitum, duobus à Cruciniaco, & uno à Sponheimenſi Monaſterio milliaribus diſtans, originem, noménque ſuum debet *S. Diſibodo* Hiberniæ Epiſcopo, qui multis ſuorum jactatus injuriis exulatum venit in Germaniam, cir-

cà annum 545. vel, ùt aliis placet, 674. ubi poſt decem ſuæ peregrinationis annos partâ Benedictini inſtituti notitiâ, in agro Moguntino denique ſubſtitit, opéque piorum hominum quamdam ſubmiſſioris faſtigii Ædiculam ſibi ad pedem dicti montis (qui locus *Vallis DEI* ſubindè apellatus fuit) Fratribus verò inſtitutum à D. Benedicto orbi nuper invectum ſequentibus, in montis ſupercilio, & ædem ſacram, & congrua domicilia extruxit, utì fuſiùs in ejus vitâ narrat S. Hildegardis apud Surium VIII. Julii. Fuit hoc Cænobium ſingulare olim Auſtraſiæ, ac totiùs propè Germaniæ primæ ornamentum, magnorúmque Virorum ſeminarium; verùm, utì penè fatale eſt rebus magnis ſubindè concuti, nihílque adeò ſanctum, aut firmum habetur, in quod cum tempore tepor, aut vetuſtatis remiſſio non irrepat, ità tepeſcentibus deinceps moribus, & refrigeſcente charitate, hoc quoque Monaſterium variis deinceps jactatum fluctibus novercantis fortunæ impetus ſæpè ſuſtinuit; ac primò quidem medio ævo expulſis indè Monachis à Clericis ſæcularibus *Hattone II.* Moguntinenſium Archi-Epiſcopo Duce invaſum fuit, ac propè ad incitas redactum, ùt refert Trithemius in Chron. Hirſaug. *part 1. pag 345.* Rebus exulceratis medicam manum circà annum 976. admovit *Willigiſus* Archi-Epiſcopus, illuc revocatis Monachis, qui denuò ejecti, rursùm agente *Ruthardo* Archi-Præſule locum illum repetiêrunt anno

1108. uti nobis author eſt Trithemius in Chron. Hirſaugienſi, hiſce verbis: *Hôc ipſo anno Ruthardus Archi Epiſ. Mog. deſolationem Monaſterii S. Diſibodi Præſulis in Comitatu Sponheimenſi per anteceſſores ſuos antè præſentis temporis plures annos miſerabiliter ſpoliati & deſtructi ægrè ferens, Clericos Sanctæ Manſionis injuſtos poſſeſſores expulit & nimiâ vetuſtate collapſum Monaſterium in montem transferens denuò fundavit. Erat eô tempore apud Moguntinos in pretio Burchardus Abbas Monaſterii S. Jacobi extrà muros, vir prudentiſſimus, & regularis diſciplinæ præcipuus amator. Huic* Ruthardus *præfatus Archi Epiſ: Monaſterium S. Diſibodi cum omnibus attinentiis ſuis commiſit, & Abbatem illius primum, & S. Jacobi, ipſum conſtituit, qui Burchardus juſſu præfati Archi-Epiſc. & impenſis, pridie Calendas Julii hoc anno MCVIII. primum fundamenti lapidem in præſcripto monte pro novo Monaſterio poſuit acceptisque de monte S. Jacobi Monachis Conventum juxta Regulam SS. Patris noſtri Benedicti inſtituit* --- Confer. *Chriſt. Joannis notas ad Serarium p. 124.*

Piam Ruthardi in Diſibodibergenſes benevolentiam, ceu chariſmatis melioris pignus ſuſpexêre ejus poſteri, nec modò, quæ ſanctè conſtituerat, laudarunt, ſed pari ferè cum eo liberalitate certârunt. Cùmprimìs verò *Adalbertus* Archi-Epiſcopus editis anno 1128. tabulis memoratum Cœnobium divite prædiorum fructu, mul-

tíſque aliis Privilegiis adauxit. *Evgenius* quoque Papa ejus nominis III. iſtud ſub B. Petri, ſuáque protectione anno 1148. ſuſcepit, atque egregiis Privilegiis communivit editâ Bullâ, apud *Chriſt: Joannis in ſpicilegio* N. X. Verùm uti fatali quadam ratione Monaſteriis penè innatum eſt, ut quò pinguioribus cumulantur divitiis, & amplioribus gaudent Privilegiis, eò magis harpyarum ſalivam, rapacéſque manus in ſe concitent, ità quò largioribus ad victum, cultúmque divinum ſubſidiis inſtructum fuit hoc Cœnobium, eò magis caſibus, atque potentûm impetigini obnoxium extitit. Atque illic quidem piè, & laudabiliter perſeverârunt Benedictini uſque ad annum 1259 quo Archi-Epiſcopus Moguntinus, ejúſque Capitulum, ut ſuas indè præbendas facerent pingviores, illud Cœnobium reclamantibus SS. Canonibus, vendiderunt Ciſtercienſibus, uti pluribus enarrat Trithemius in Chron. Spoheim. pag. 283. Series verò Abbatum ex Divi Benedicti inſtituto nobis talis occurrit.

I. S. DISIBODUS hujus loci Fundator, quanquam diximus ſolitarium permanſiſſe in domicilio, & oratorio illo, quod in montis deſcenſu ad orientem exſtructum erat, fratres nihilominùs in monte ipſô degentes, quàm diu vixit, gubernavit; ſic enim habet S. Hildegardis in ipſius vitâ: *ſui, vivente illo, alium Magiſtrum non requirebant,*

ma-

maximè cùm ejus juſſu & voluntate tales inter ſe haberent, qui ipſos ſinè offenſione, & murmure per iter rectum dirigerent. Ubi & additur: *illam Congregationem annis duodecim ad quinquagenarium uſque perſectorum Fratrum numerum excreviſſe.* Vixit annos 81. ejúſque obitus notatur his verbis in Martyrologio Rabani: *VI. idus Septembris, natale S. Diſibodi Confeſſoris.* Cujus poſteà corpus ab illo in pede montis Oratorio, ad alterum in cacumine, præſente *S. Bonifacio* Moguntino Præſule circà annum 750. translatum eſt. Porrò inter rudera everſæ, haud ità pridem, aræ Principis, repertus eſt lapis cum hac inſcriptione:

Hâc Diſibodi corpus tumulatur in urnâ;
Propriùs hic extans ara dicata Deo,
Servat ad æterni ſpem Judicis oſſa virorum,
Qui pavêre ſacris glanicolas dapibus.
Mira loci pietas, & prompta precantibus ara
Spes hominum placidâ proſperitate juvat.

II. BURCHARDUS primùm Hirſaugiæ Monachus, tùm Abbas S. Jacobi propè Moguntiam, hoc etiam ſant-Diſibodibergenſe Monaſterium, jubente Ruthardo Archi-Epiſcopo, inſtaurandum ſuſcepit, ſtatímque novum in monte, ad cujus pedem vetus poſitum erat, conſtruere cæpit anno 1108. pridiè Cal. Julii primo fundamenti lapide poſito, Conventúmque ibidem ex S. Jacobi Monachis inſtituit, ùt narrat Trithemius in Chron.

Hirſaug. ad annum 1108. *part.* I. *pag.* 345. Obiit circà annum 1117.

III. ADALUNUS S. Jacobi propè Moguntiam Monachus reperitur Abbas S. Diſibodi anno 1118. pridiè Cal. Maii in diplomate Alberti I. Archi-Epiſcopi pro ſuo Monaſterio. Hunc opere ſtrenuum, & morum probitate conſpicuum *Dodechinus* diem clauſiſſe tradit idibus Julii anno 1128. *poſtquàm*, inquit, *annos quindecim rexiſſet.*

IV. S. FULCHARDUS ſeu F*olcradus.* teſtis occurrit cum Weinboldo Abbate S. Jacobi in literis Adelberti Archi-Epiſcopi pro Eccleſia Collegiatâ S. Victoris Moguntiæ anno 1130. annis octo regimen tenuiſſe dicitur à *Dodechino.* Obiit anno 1136. ad diem nonam Menſis Novemb. Calendario Benedictino inſertus.

V. COMO, ſeu *Cano* & *Cuno* anno 1136. *VI.* Cal. Jan. ordinatus eſt Abbas ab Adelberto Moguntino. Is autem adfuiſſe legitur cum *Gerardo* S. Maximini, & B*ernhelmo* Spanheimenſi Abbatibus, quando die Paraſceves Paſchæ Calendis Aprilis anno 1138 apertum eſt ſepulchrum SS. Patris DISIBODI. Idem *Cuno* memoratur in literis Henrici Archi-Epiſcopi pro Cœnobio S. Petri in Erfordiâ; & iterùm in diplomate ejuſdem Henrici pro fundatione Prioratûs de Offenbach à S. Vincentii Metenſis Monaſterio dependentis anno 1150. Vivere deſiit anno 1155. VI. Nonas Julii.

VI.

Digitized by Google

VI. HELIGERUS, ſucceſſit XVI. Cal. Aug. erátque ſuperſtes anno 1170. quo ſcilicet S. Hildegardi perſvaſit, ut vitam ſanctiſſimi Viri *Diſibodi* literis mandaret.

VII. THEODORICUS claruit his diebus teſte Trithemio in Chronico Hirſaugienſi P. I. *pag.* 501. ſcripſit ille vitam S. Hildegardis, quam in compendio retulit Serarius *Rerum Mog. cap.* 37. *pag.* 195.

VIII. PHILIPPUS Abbas de Monte S. Thiſiboldi teſtis eſt anno 1196. Indict. XIV. in chartâ Conradi Archi-Epiſc. Moguntini pro Hainenſi Cœnobio - - -

IX. DODECHINUS rexit ad annum 1200. in quo deſinit continuatum ab ipſo *Mariani Scoti* Chronicon.

X. HERMANNUS memoratur anno 1203. in tabulario S. Vincentii Metenſis - - -

XI. HARTUINUS anno 1219. adfuit confirmationi Parthenonis *in indagine*, poſtmodùm *Sehmerlenbach*, appellati, & anno ſequenti bona, quæ habebat in villa *Genzingeri* Agneti Duciſſæ de Nanzey vendidit &c.

XII. OTTO anno 1253. die XX. Cal. Aprilis nonnulla commutavit cum Eccleſiâ Collegiatâ B. Mariæ ad gradus Mog. approbante *Gerhardo* Archi-Epiſcopo Moguntino. Eô autem anno 1259. de-

denato Ciſtercienſes Monachi haud inſonticis artibus hoc obtinuêre domicilium, accito ex Otterburgenſi Cœnobio Abbate *Joanne*, qui, ut hanc Abbatiam Benedictinis iniquè ereptam retineret, ſe, ſuóſque poſteros in perpetuum ad 100 maldra ſiliginis annuè perſolvenda Eccleſiæ Moguntinæ obſtrinxit, ùt ex chartâ, quam nobis Trithemius in Chronico Sponheim. *pag.283.* repræſentat, palàm fit, in quam citatus digitum intendens; *vides*, inquit, *quemadmodùm Canonici Majoris Eccleſiæ Moguntinæ, ut præbendas ſuas facerent pingviores, Monaſterium, quod anteà Ordinis noſtri erat liberrimum, Ciſtercienſibus pro centum maltris ſiliginis in ſervitutem annuam vendiderunt, non in parvam Ordinis noſtri jacturam, injuriam, & opprobrium, immemores beneficii ab* OTTONE *ejuſdem Monaſterii Abbate noſtri Ordinis ultimo ante quadriennium percepti, qui eis Parochialem Eccleſiam in Oſternach cum inſigni libertate tradiderat, cum omnibus proventibus in perpetuum poſſidendam.* Hæc ille, in quibus ſubſiſtimus; neque enim cætera ad nos ſpectant.

Acerbiora fata expertum eſt hoc Cœnobium anno 1504. dum Palatinenſes milites fugato *Alexandri* Ducis Bipontini præſidio, omnia ejus ædificia, omnéſque facultates miſerè attriverunt, ùt idem narrat *cit. loc. pag.421.* ſed longe funeſtiorem ſenſit cataſtrophen ſub annum 1560. quo *Wolffgangus* Dux Bipontinus, ex Lutheri doctri-

nâ

nâ ratus Monaſteria tunc demùm reformari, ſi ejectis Religioſis, bona Deo dicata ad Fiſcum, uſúſque promiſcuos raperentur, Ven. Virum *Petrum de Limpach* loci Abbatem unà cum *Joanne de Burg* Priore, aliíſque Cænobitis Monaſterio vi illatâ exturbavit, certíſque redditibus ipſis in alimentum ad vitam adſignatis, denique anno 1568. fructus, qui ſibi ex bonis illius influebant, alendis ſuæ ſectæ miniſtris extremâ voluntate conſtituit. At enim, quamquàm nube hâc horridâ obſuſcari Monaſterium potuerit, non tamen ità extingvi potuit, quin lucis fundatæ radios oſtentaret, veteréſque ſui poſſeſſores, ceu veros dominos poſtliminii, jure reclamaret; quippe Divo dictante Gregorio lib. 7. Regiſt. Ep. 31. *Rationis ordo non patitur, ut Monaſterium, & maximè contra voluntatem fundatorum ab eorum diſpoſitione ad arbitrium ſuum, præſertim laica perſona ſubducat, aut aliquis ſibi in id jus debeat vendicare.* Siquidem decernente Concilio Chalcedonenſi Can. *Quæ ſemel.* 19. q. 3. *Quæ ſemel Deo dicata ſunt Monaſteria, perpetuò debent manere Monaſteria, nec poſſunt ampliùs in uſus humanos converti.* Quòcircà, dùm ineunte ſæculo ſuperiori Auguſtiſſimus Imperator FERDINANDUS II. varias Imperii Ditiones, Eccleſias, & Monaſteria ex heterodoxorum faucibus eripuiſſet, atque etiam edictum *de reſtituendis bonis Eccleſiaſticis* per omnes Imperii circulos publicari feciſſet, jámque ab anno 1622. armis Hiſpaniæ

Regis expugnato Palatinatu, omnia ejus ditionis Monaſteria ab hæreticis detenta veteribus poſſeſſoribus reſtituerentur, Patres Bursfeldenſis unionis rebus ſuis tum velificaturi ad ſingula ferè ſui ſodalitii Cœnobia probatæ vitæ Religioſos deputârunt, qui ea Authoritate Congregationis ad corpus, à quo avulſa fuerant, reducerent. Et hôc quidem tempore *Diſibodibergenſe* unà cum *Sponheimenſi* evincendum ſuſcepit *R. P. Remigius Holtzweiler de Winckel*, Sancti Martini Coloniæ Profeſſus, & in B. Mariæ-Münſterienſi Cœnobio Theologiæ Profeſſor, qui ab anno 1622. ſibi utriuſque Cœnobii adminiſtrationem vendicavit, atque demùm retentâ Sponheimenſi Abbatiâ, ùt ipſe teſtatur, Diſibodibergenſem *R. P. Caſparo Jongelino* Antverpienſi, tùm inter milites Verbi Dei præconem agenti reliquit. Huic autem Cœnobio Ordini reſtituto datus eſt Abbas *Jongelinus* anno 1640. ùt ipſe perhibet in ſuis notitiis, præfuitque ad annum ferè 1642. quo hâc ſuâ dignitate abdicatâ factus eſt Abbas *Euſſerthalenſis*, ſeu *Ulterinæ-Vallis* in Diæceſi Spirenſi. Tum verò Diſibodi Monaſterium ceſſit Illuſtri Viro *Joanni Caramueli de Lobkowitz*, qui Hiſpanorum ſuffultus præſidio nonnullos proventus revendicavit, omnéſque nervos intendit reducendis in eâ Provinciâ ad Orthodoxam fidem aberrantibus; dum tandem anno 1648. aliò evocatus Diſibodibergenſe Monaſterium cum omnibus

bus juribus, & pertinentiis ſuis tranſtulit in *R. P. Gerardum Karel*, Abbatem Sponheimenſem, qui illud poſteà ceſſit *R. P. Arnoldo ab Eſſen*, Tuitienſi Profeſſo, ſub cujus poteſtate & directione ſtetit uſque dum rursùs Religioſis exeſſe juſſis, in eundem, quo antè ferale bellum fuerat, ſtatum rediit. Neque tamen defuit Abbatum Unionis Bursfeldenſis ſollicitudo, quâ cæptum negotium omni meliori modo ad metam proferrent. Quare adluceſcente poſt nubila Phœbi diluculô beneſato *Arnoldo ab Eſſen*, Capituli Bursfeldenſis Actuario, & per Palatinatum Procuratori anno 1650. denuò commiſſum fuit, ut unà cum Sponheimenſi, vicinæ quoque Diſibodibergenſis Abbatiæ præfecturam adiret. Verùm cùm prædæ acriùs incubarent harpyæ, aliud tùm efficere is nequivit, quàm ut retentâ civili poſſeſſione jus quæſitum Abbatibus Congregationis Bursfeldenſis ſtabiliret. Etenim Calviniſtis ſui favitoris *Caroli Ludovici* auſpiciis has in regiones ſenſim irrepentibus, funeſtæ tandem rabiei cedendum fuit, atque extruſis iterùm è Cœnobiis incolis, *Arnoldus* Moguntiam ſe recepit, ubi in S. Jacobi Cœnobio *Prioris* nomine ſervando gregi præfectus, vitæ periodum clauſit anno 1664. die V. idus Octobris.

Provido autem conſilio id deinceps factum, ut quamquàm nominati præfatæ Abbatiæ adminiſtri per injuriam temporum, vímque illatam ab

ab ejus reali poſſeſſione arcerentur, nihilo tamen minùs *Actionem*, ſeu *interdictum retinendæ* continuò inſtituerent. Ex quibus infit ejuſmodi Monaſterium neutiquam dici poſſe extinctum, ſiquidem intellectu quodam vivit, ac perpetuò priores Dominos reclamat, qui illud ſemper ſibi poſſunt revendicare per Legem: *Cùm loca ſacra ff. de Relig. & ſumpt. fund.* & per cap. *Porrò.* diſt. 16. q. 3. *Non enim eſt objicienda præſcriptio temporis, ubi neceſſitas intereſt hoſtilitatis*: Quia quæ defacto, & vi majore fiunt, alteri nocumento eſſe non debent, inquit *Magerus cap. 15. de Advocat. armatâ, n. 29.* ídque fortius, ubi adeſt impatientia Actoris quietem non concedentis.

Nec quicquam in contrarium facit pacis Weſtphalicæ diſpoſitio; ſiquidem jam ante annum decretorium Benedictini in ejus Monaſterii poſſeſſionem immiſſi fuerant; terminus autem anni 1624. nullum præjudicium creare debet iis, qui ex capite juſtitiæ, Amneſtiæ, anterioris poſſeſſionis, vel aliundè reſtituendi ſunt; præſertim cùm etiam conſtet, quid ſumma Sedes de extortâ ejuſmodi pacificatione ſenſerit. Quam ob rem dum ſub finem ſæculi XVII. Ludovicus XIV. Galliæ Rex victricibus armis totum ferè Palatinatum ſubegiſſet, & abrogato pleriſque in locis Calvinianæ ſectæ uſu, Romana ſacra reduxiſſet, Patres Congregationis Burſfeldenſis anno 1682. apud S. Mathiam Treviris congregati,

R. P.

Digitized by Google

R. P. Eliæ Bingell S. Jacobi Moguntiæ profeſſo in commiſſis dederunt, ut curam, & onus in ſe reciperet prædictorum Monaſteriorum. Bonô itaque adſpirante Favonio negotium cùm feliciter cæpiſſet *Elias*, anno 1690. ab Abbatibus Tuitii congregatis, Abbas Sponheimenſis & Procurator Capituli per Palatinatum, vicináque loca eſt deſignatus. Accitis hinc ex diverſis Cœnobiis operarum ſociis *R. P. Wolffgangum Curtium* S Martini Coloniæ profeſſum anno 1691. in Diſibodibergenſis Monaſterii poſſeſſionem Authoritate Ordinis immiſit. Verùm cùm hic diſſipatos proventus ad congruam ſuſtentationem ſibi revendicare non poſſet, Sponheimium ſe recepit, ubi retento *Adminiſtratoris Diſibodibergenſis* titulo curis Parochialibus, & reducendis ad fidem Heterodoxis totum ſe impendit. Eô fatis functo R. P. *Joannes* S. Florini in Schonaviâ tunc Sponheimii agens, in ejus locum *Diſibodibergenſis Adminiſtrator* deſignatus fuit. Cui deindè ſuffectus eſt *R. P. Bonifacius* Sponheimenſis Cœnobii Alumnus, & Parochus in Bockenav, viciniſque locis, qui obiit anno 1729.

Etſi verò jam tum ab anno 1697. in tractatu pacis Ryſvicenſis pragmaticè cautum eſſet: *ut Religio Catholica, & cætera, quæ ipſam concernunt in iis locis ſarta tectáque perſiſterent*: idque rurſus in pacificatione Raſtadio-Badenſi anno 1714. reſpectivè firmatum eſſet; attamen, cùm Acatholici

lici ſuas, ùt fieri amat, exceptiones opponerent: quòd ſervari pacta velint, per quæ religionis ſuæ conſortibus conſulatur; è contrario irritari omnia, quorum vigore Catholici poſſeſſionum ſuarum, ac præſertim Religionis adipiſci, aut retinere ſecuritatem poſſint: Cúmque parva interim Catholicorum de ſuis & ipſius Eccleſiæ, pacíſque juribus læſis conquerentium haberetur ratio, nulla offenſæ, nisì eorum, qui aut armati eſſent, aut potentiores; neque verò contrà prævalentium potentiam pronum ſemper adeſſet Gallorum præſidium, vi cedendum interim fuit ità tamen, ut propitiori adſpirante Numine æquior vendicandæ Patrum hæreditatis exſpectaretur occaſio. Quare cùm anno 1734. Gallicus miles iterùm his in regionibus ageret, & pleríque Catholici ſua gravamina apud Belliduces deponerent, ijſque mandato regio injunctum eſſet, ut Acatholicorum adversùs articulum IV. pacis Ryſvicenſis attentata reprimerent, *R. P. Oliverius Legipont* ad S. Martinum Coloniæ profeſſus, tum Sponheimij in curâ paſtorali diſtentus, hâc occaſione utendum ratus, memoratum Diſibodibergenſe Monaſterium ſibi revendicandum præſumpſit. Quam in rem patentes, quas hìc adnectimus, ab Illuſtriſſimo Domino Congregationis Bursfeldenſis Præſide expeditas obtinuit.

Nos

Nos Servatius *divinâ providentiâ Abbas Monaſterii S. Viti M. in* Gladbach *O. S. B. congr. Bursfeld. Præſes principalis - - Muneris præſidentialis nobis impoſiti ratio exigit, ut animum intendamus, mentis oculos deflectamus, noſtrosque conatus omnes dirigamus in illa, quæ ad Dei majorem honorem & gloriam, ſacrique ordinis SS. Patriarchæ noſtri* BENEDICTI *incrementum, ac almæ unionis noſtræ Bursfeldenſis decorem conducere prona ſunt. Cùm itaque non ſine animi noſtri ſolatio & gaudio erudiamur Adm. Rdum, & Eximium P. Oliverium Legipont S. Martini Maj. intra Coloniam profeſſum presbyterum, in Univerſitate Colonienſi SS. Theologiæ Licentiatum, ejusdemq; Profeſſorem emritum p. t. Sponheimii Parochum - - in recuperando veteri quodam ordinis noſtri monaſterio in Palatinatu Rheni ad Glani Navæque confluvium ſituato, vulgo* Diſibodibergenſe *nuncupato, jam pridem ſerociente hæreſi, diſſipato & deſolato, omnem poſſibilem operam ſuam im- ſeſeque ſuper impendere; volentes ad tam ſancti operis executionem concurrere, omneque poſſibile noſtrum contribuere, eidem* R. P. Oliverio *non ſolum dictum monaſterium unà cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis nomine congregationis noſtræ occupandum, tenendum & poſſidendum conferimus, ſed etiam Rdum ac Religioſiſſimum* P. Auguſtinum Schülein *priorem Sponheimenſem authorizandum, denominandum & conſtituendum duximus, uti per præſentes eundem autori-*

C

thoritate Dei & ordinis authorizamus, denominamus ac conſtituimus, quatenus præmemoratum Adm. Rdum ac Eximium P. Oliverium *in realem poſſeſſionem ibidem introducat, omniaque agenda ac præſtanda, quæ de jure & loci conſuetudine ad realem & pacificam capiendam poſſeſſionem requiri videntur, auctoritate noſtrâ agat & præſtet. Datum in Abbatiâ noſtrâ Gladbac. hac XXIV. Febr. 1736.*

Servatius Abb. Gladb. Congr. Burſf. Præſ.

His aliisque inſtructus præſidiis *Oliverius* mox petito Eminentiſſimi Archiepiſcopi Moguntini quâ *Ordinarii* placito, ſuum deinde perfugium ſupplex habuit ad Excell. D. Comitem *de Belle-Isle*, gallici exercitûs Archiſtrategum: cujus ope cùm in vim articuli IV. pacis Ryſvvicenſis in præfati monaſterii poſſeſſionem immitti petiiſſet, continuò impetrato mandato regio, dictum monaſterium ſuæ fecit poteſtatis, atque in vim aditæ poſſeſſionis ipſo paſchatis die I. Aprilis A. 1736. divina ibidem ſolenni ritu primùm peregit, aliasque functiones in contiguo Staudernheimenſi oppido publicè exercuit, eâ rei geſtæ famâ, ut gallicis relationibus insereretur his verbis: *On apprend que le* P. Olivier Legipont *Benedictin, appuié d'une puiſſance capable de le ſoutenir, at enfin repris poſſeſſion de l'ancien Monaſtere de Diſſibodiberg, ſitué dans le Voiſinage de Staudernheim, qu'il y fit le ſervice divin le jour de pâques, & que pluſieurs officiers François du Regiment de*

Mr.

Mr. de la Croix y aſſiſterent avec leur monde & communierent par ſes Mains - - - Cùm autem per aliquot annos in pacificâ dicti monaſterii poſſeſſione perſtitiſſet *Oliverius*, demùm per Rmos DD. præſidem & Abbates Congr. Burſfeld. qui Coloniæ in ædibus Gladbacenſis refugii convenerant, Diſibodibergenſis Abbas, & capituli Actuarius eſt deſignatus, literis deſuper conſcriptis in eum, qui ſequitur, modum:

SERVATIUS Abbas S. Viti in Gladbach O. S. B. Congr. Burſfeld. *per Germaniam præſes principalis* - - - *Adum Rdo ac Eximio* P. Oliverio Legipont *Abbatiæ S. Martini Coloniæ profeſſo presbytero, in univerſitate Colonienſi SS. Theologiæ Licentiato, ejuſdemque profeſſori emerito ſalutem & paternam Benedictionem. Quia de jure electio ſeu denominatio Abbatum, aliorumque ſuperiorum in monaſteriis præfati ordinis & congregationis noſtræ, deficiente eo loci conventu, ad nos noſtramque congregationem ſpectare dignoſcitur, ſicut & ſpectat; hinc ad novam electionem ſeu denominationem Abbatis monaſterii S. Diſibodi in palatinatu Rheni jam ab aliquot annis deſolati & incolis vacui procedendum rati, imploratâ Divini Numinis aſſiſtentiâ, de conſenſu & conſilio RRmorum PP. & confratrum noſtrorum Co-Abbatum* TE Oliverium *præfatum, de cujus religioſæ vitæ integritate, doctrinâ, pietate, modeſtiâ, zeloque religionis, & rerum agendarum dexteritate plurimùm confidimus, memorati*

moratì monaſterii Diſibodibergenſis (cujus jam per plures annos poſſeſſionem adeptus es) præfectum ſeu Abbatem elegimus & denominavimus, prout & eligimus & denominamus per præſentes, TEque ad reliqua in eo diſtrictu revendicanda actorem noſtrum & procuratorem conſtituimus, in Domino hortantes, ac in virtute S. obedientiæ mandantes, ut memoratum Diſibodibergenſe monaſterium inſtaurare, religioſis fratribus inſtruere, ac regularem diſciplinam in illud reintroducere, atque in locis circumjacentibus more SS. patrum ordinis noſtri, illarum ditionum animas artificio, ac fraude inimici á verâ fide & religione ſeductas, ad viam veritatis, & orthodoxam religionem ſanctæ prædicationis verbo, & bonorum operum, ac probatæ vitæ exemplo reducere; prout cæpiſti, ac lucrari ulterius pergas & adnitaris. Quem in finem omnes & ſingulos quorum intereſt, præſertim ſereniſſimos Principes, ac Dominos territoriales, proceres, Magiſtratus, & avitæ religionis defenſores, necnon Reverendiſſimos Archi- & Epiſcopos, Abbates, Prælatos, ſacrorumque Antiſtites impenſè admodum & ſubmiſſè rogamus, obſecramus & requirimus, ut pro exequendo tali injuncto munere, tamque ſalubri negotio, authoritatem ſuam, gratiam & tutelam Tibi clementiſſimè impertiri, atque conſilio, auxilio, ſubſidiis ſavoribus & beneficiis benignè aſſiſtere dignentur, quatenus loca Deo dicata, tot ſanctorum reliquiis, totque illuſtrium viro-

Digitized by Google

virorum, Epiſcoporum, Comitum, Antiſtitum ſepulchris & exuviis ſacra, ab ulteriori profanatione & neglectu vendicentur, ac eum ſaltem in ſtatum revocentur, quo piiſſimi fundatores aliquod ex Religioſorum ibi commorantium ſuffragiis ſentiant ſolatium. Datum Coloniæ in ædibus noſtris die XXIX. Martii anno 1742.

Servatius Abbas Gladbac. Sacræ Congr.
Bursfeldenſis præſes principalis - - -

Quia verò præfata Diſibodibergenſis Abbatia jam inde a tempore EUGENII III. ſub tutelâ ſummæ Sedis fuit conſtituta, eique immediatè ſubjecta, *Oliverius* ut collationis illius ſibi factæ ſtabilitas firmior perſiſteret, ac munus injunctum majori cum authoritate obire poſſet, confirmationem ab Illmo Domino NUNTIO Apoſtolico petiit & impetravit in eum, qui ſequitur, tenorem.

IGNATIUS *Dei & Apoſtolicæ Sedis gratiâ Archiepiſcopus Cæſarienſis Sanctiſſimi Domini noſtri D.* BENEDICTI *Divinâ providentiâ Papæ XIV. pontificio ſolio aſſiſtens, ejusdemque ac dictæ S. Sedis ad tractum Rheni, aliasque inferioris Germaniæ partes cum poteſtate* Legati de Latere *Nuntius &c. &c. Dilecto nobis in Chriſto Reverendo admodùm & Eximio Patri* Oliverio Legipont. *ordinis S. Benedicti, in Abbatiâ S. Martini Maj. Coloniæ Sacerdoti profeſſo, Nominato Abbati Diſibodibergenſi ſalutem*

in Domino ſempiternam --- Cùm Nobis decenter expoſueris qualiter vetus quoddam ordinis S. Benedicti Monaſterium, vulgo Diſibodenberg *nuncupatum, in Ducatu Bipontino, Diœceſi Moguntinâ, non procul ab oppido* Sobernheim *ſitum, hodie incolis vacuum, authoritate PP. Abbatum Congregationis Bursfeldenſis tibi ceſſum & collatum, tui juris feceris, ac poſſeſſiones ejus & jura, maximam partem, ut aſſeris diſſipata, revendicare contendas, Nobis humiliter ſupplicando, quatenus hanc tibi præmiſſo modo factam collationem authoritate Apoſtolicâ confirmare dignaremur. Nos attento tam ſancto & laudabili propoſito, hujusmodi ſupplicationibus inclinati, prædictam collationem, in quantum poſſumus, authoritate, qua fugimur, Apoſtolicâ tenore præſentium approbamus, & confirmamus, laudantes hujusmodi zelum tuum in bonis ad prætactum Monaſterium ſpectantibus, ſacrisque locis, prout de jure, revendicandis, & ad mentem fundatorum cultui Divino reſtituendis; ad quem effectum requirimus, obteſtamur, & enixè rogamus omnes & ſingulos Principes, Prælatos, Magnates, aliosq; omnes, quorum intereſt, ut TE in negotio hujusmodi ad incrementum Religionis Catholicæ & Ordinis S. Patris Benedicti decus tam zeloſè ſuſcepto, ſuis favoribus, gratiis, patrociniis, auxiliis & ſubſidiis benignè proſequi non dedignentur --- Datum Coloniæ XVIII. Aprilis anno 1742. pontificatûs Sanctiſſi-*

ctiſſimi Domini noſtri Benedicti XIV. anno ſecundo.

(L.S.) *IGNATIUS Archiepiſcopus Cæſarienſis Nuntius Apoſtolicus* --- *MPPr.*

Joan. Cenachi Abbreviator. ---

Tot tantisque munitus reſcriptis *Oliverius* nullum non movit lapidem, ut cæptum negotium feliciter conficeret; ſed cùm rerum benè gerundarum nervus ei deficeret; neqné verò adeſſent, qui cenſus, quos debebant, explicarent, vel luctanti ſubſidium ferrent, diſcrimini interim cedendum ratus, *fecit*, ut in proverbio eſt, *ex neceſſitate virtutem*, ſperans fore ut Reverendiſſimi Antiſtites de ipſius intentionis rectitudine inſtructi, pro Benedictini nominis honore ac famâ ſuæ benignitatis viſcera pandere, opemque ſubſidiariam ei liberaliùs conferre dignentur. Nam,

Mundus hic eſt pelagus, regina pecunia nauta.
Navigat infelix, qui caret hujus ope.

In illis porró ædibus, quæ Sobernheimii in reliquis bonorum monaſterii S. Diſibodi habentur, & vulgó der Diſibodenberger Hoff appellantur, Sacellum hodieque adjunctum conſpicitur, quod tamen in uſus profanos converſum, a majoris ædis Moguntinæ œconomo detinetur. *Ita* nempe *ex alieno augetur res, nec terminata intercipitur.* Hàbuit autem hanc laudem S. Benedicti familiæ integritas, ut injurias ferre, quam inferre maluerit, & glorioſum magis duxerit

 illic

Digitized by Google

illic ſuccumbere, ubi regnaret iniquitas, quam illic regnare, ubi æquitas ſuccumberet. *Conſer. Chriſt. Johannis diplomatarium Diſiboaibergenſe.*

E.

EBERSHEIMENSE aliàs *Apri-monaſterium* & *Novientum*, vulgò *Ebersmünſter* O.S.B. diæc. Argent. fundatum A. 667. olim Congregationi Burſfeldenſi unitum, hodie *Alſato-Benedictinæ* paret.

EBERSTEINENSE O.S.B. Diæc. Argentinæ, avitâ Comitum de Eberſtein pietate conditum, congregationi Bursfeldenſi ſubinde unitum, denique ad manus principum Durlacenſium uxorio nomine venit.

EICHENBRUNNENSE O.S.B. in territorio Ducis palatino-Neoburgici ſitum, â *DD. de Flachberg* fundatum, & a *Caliſto II* A. 1120. confirmatum, ferociente hæreſi abſorptum periit.

ELCHINGENSE magnificum O.S.B. infra Ulmam cœnobium a *Conrado* Saxoniæ Duce A. 1128. fundatum, adhuc floret. Aliud verò ejusdem nominis & inſtituti, ſed diſparis ſexûs, interiit.

ELWANGENSE opulentum quondam O.S.B. Diæc. Auguſtanæ, ab *Hariolpho* Lingonienſi Epiſcopo A. 754 fundatum, in collegium canonicorum ſæcularium A. 1460. eſt converſum.

ERBACENSE ſeu *Apribacum* O.Ciſt. in Rhin-

gavia

Digitized by Google

gaviâ duobus ferè milliaribus a Moguntiaco diſſitum, hodieque viget. *Gall. chriſt. To. V. p.* 656.

ERFORDIENSE S. Cyriaci O. S. B. puellare parthenium A. 884. excitatum, ſæculo XVI. ab hæreticis eſt diſſipatum.

ETTENHEIMIUM ſeu *Ethonis monaſterium* O. S. B. in Alſatiâ, diæc. Argentinæ a *Wiggero* Epiſc. conditum, & ab *Ethone* dotatum, nunc unioni Alſato-Benedictinæ perſtat obnoxium.

EUBINGENSE, vide, RUPERTI MONS--

FüSERTHAL latinè *Extrema* vel *Ulterina vallis*, ord. Ciſterc. in Palatinatu Rheni, & diæceſi Spirenſi, à *Conrado III.* & *Henrico VII.* Imp. ampliſſimis auctum prædiis, viguit usque ad tempora *Friderici* Comitis palatini, qui abjectâ fide Monachos ex hoc aliisque vicinis cœnobiis abegit.

F.

FAUCENSE ſeu *Fueſſense* O. S. B. diæc. Auguſt. circa A. 658. conditum, adhuc floret.

S. FELICITATIS-*Mons* puellare O. S. B. in palatinatu cœnobium, anno 1411. Laurishamenſi Archiſterio incorporatum fuit.

FISCHBACH Ord. S. Auguſtini in diæc. Wormatienſi, ſuis in ruderibus jacet.

FLONHEIMIUM opulentum O. S. B. cœno-

G 5 biuma

bium in Comitatu Sylveſtrino, diæc. Mog. cujus proventus Comes *de Thaun* bonis ſuis haud ita pridem accenſuit.

FLONHEIMIUM aliud Ord. S. Auguſtini, circa A. 1451. in eccleſiam collegiatam mutatum eſt.

FRANCKENTHAL haud procul a Wormatiâ Ord. S. Auguſtini ab *Eckenberto* Dalburgico circa A. 1135. fundatum, cum aliis interiit.

FRAWENSEENSE ad Lacum Thuringicum Virginum ciſterc. obſervantiæ aſceterium, viguit ad A. 1525. tum communi turbine abreptum.

FRIDENWEILERENSE in nigrâ ſylvâ, diæc. Argent. puellare ord. ciſt. aſceterium A. 1123. conditum, ſuo adhuc in flore perſtat.

FRITISLARIENSE in diæc. Mog. vetus O. S. B. monaſterium a S. *Bonifacio* circa A. 732. erectum, ab ordine jam tùm ſæculo X. defeciſſe ſcribit *Trithemius.*

FULTENBACENSE virorum O. S. B. in Burgovienſi marchionatu, diæc. Auguſt. circa A. 739. â S. *Wicterpo* Epiſc. conditum, adhuc extat.

G.

GANDERSHEIMENSE princeps olim O. S. B. in diæceſi Hildeſienſi archiſterium a *Ludolpho* Saxoniæ Duce A. 856. fundatum, canonicas nobili ſtemmate natas hodie ſuſtentat.

GE-

Digitized by Google

GEHINKIRCHE O. S. B. multæ vetuſtatis præpoſitura propè Monſingam, Diſibodibergenſi Abbati olim obnoxia, vix rudera oſtentat.

GENGENBACENSE Imperiale O. S. B. Monaſterium non longè ab Offenbùrgo Briſgoiæ oppido, diæc. Argent. A. 740. fundatum, nunc ſub congregatione Alſàto-Benedictinâ in omni flore perſtat.

S. GEORGII vetus O. S. B. diæc. conſtant. cœnobium, ab *Hezilone* & *Heſſone* viris illuſtribus A. 824. fundatum pridem ab Hæreticis miſerè attritum, modo in melius viget.

S. GEORGII ad Numburgum celebre olim O. S. B. monaſterium in monte ſitum, circa A. 1002. conditum, unioni Bursfeldenſi A. 1458. adſcriptum, viguit usque ad A. 1544. *Vide Thuring. Sacr. p. 673.*

GERBSTADIENSE O. S. B. diæc. Halberſtadienſis, in comitatu Mansfeldico, altero milliari ab Islebia diſſitum, circa A. 985. fundatum, demum a *Carolo* Comite Mansfeldiæ A. 1600. ſeculariʒatum fuit.

S. GERMANI O. S. B. cœnobium non longè ab urbe Spirenſi, in monte, cui nomen *Sant Germansberg* a *Dagoberto II.* conditum, hodie ſuis lacerum ruinis ægrè priſtini decoris veſtigia retinet.

GERODENSE virorum O. S. B. congr. Bursfeld. in

in Eichsfeldiâ, diæc. Mog. cœnobium, uno milliari a Duderſtadio diſſitum, adhuc ſuperat.

GOSECENSE ſeu *Goſek* O. S. B. in monte ſatis edito, Numburgum inter & Leucopetram ſitum, A. 1041. fundatum, congregationi Burſfeldenſi acceſſit A. 1493. demùm A. 1543. in promiſcuos uſus abiit.

GOTTESAUGIENSE aliàs *Gozavienſe* O. S. B. in pago *Albegaw*, ditionis Marchionum Badæ-Badenſium, & diæceſis Spirenſis, conſtructum A. 1110. congregationi Burſfeld. nomen dedit A. 1457. viguit usque ad A. 1648. quo novis rurſús turbis ab ordine avulſum eſt.

GRAFENHUSANUM Virginale O. S. B. diæc. Conſtantienſ. aſceterium, prope Steinum oppidum, ſuperiori ſæculo extinctum periit.

GUMMERSHEIMENSE fæmineum Ciſt. obſerv. gynecæum inter Odernheimium & Alzeiam palatinatûs oppida, anno 1644. unitum eſt Wormatienſi *Mariæ-Monaſterio*.

H.

HAMBACHUM illuſtre pridem O. S. B. diæc. Spirenſ. parthenotrophium, haud procul â *Germersheim* ad Fluv. *Speerbach*, amæno ſitu, ipſis gementibus piis fundatorum manibus, promiſcuos in uſus circa A. 1560. abreptum eſt.

HAS-

Digitized by Google

HASCHOVIA vulgò *Eſchau* in Helleni Alſatiæ fluvii inſulâ puellare O. S. B. cœnobium, a *Remigio* Argentinenſi Epiſcopo A. 778. fundatum, ſtetit usque ad exortam hæreſin, quâ graſſante penitùs everſum eſt, ejus proventibus demum Eccleſiæ Argentinenſi unitis.

HASELACENSE virorum O. S. B. diæc. Argent. tribus a *Molsheimio* diſtans leucis, a S. *Florentio* Argent. Epiſc. Fundatum, diu ſub regulâ S. Benedicti viguit, dum tandem in Canonicorum collegium eſt mutatum.

HASENRIEDENSE inſigne olim O. S. B. in diœceſi Eyſtettenſi cœnobium a *Carolo M.* fundatum, deniq; in CanonicorumCollegium tranſiit.

HASUNGENSE opulentum O. S. B. apud Haſſos in monte cognomine monaſterium, quod *Ariboni* Mog. Archiepiſc. ſuam originem debet, Unioni Bursfeldenſi A. 1505. acceſſit, atque ſub eâ in omni flore perſtitit usque dùm in turpi religionis Diſſidio cum aliis ſuccubuit.

HAUSEN Virginũ O.S.B. diæc. Spir. parthenon, non longè ab oppido Wachenheim, quem *Conradus* Spirenſis Limburgenſi Abbatiæ A. 1221. inſolidùm univit.

HEERDENSE Canonicorum Reg. O. S. Auguſtini in diæc. Spirenſi, hodie ſub ſæculari adminiſtratione gemit.

HEIDEL-

HEIDELBERGENSE ad Spiritum S. principale collegium a *Ruperto* Romanorum Rege fundatum, atque a *Ludovico Comite* palatino conſummatum, hodie ab Hæreticis occupatur.

HEIDELBERGENSE aliud ab Auguſtinianis inhabitatum, quod *Fridericus II.* Elector palatinus ejectis monachis in Gymnaſium commutavit.

HEIDELBERGENSE patrum Soc. Jeſu, ex quo *Miſſio* ab anno circiter 1630. propagata, ac rurſùs A. 1685. inſtautata, hodieque viget.

HEIDENSE, aliàs *S. Laurentii ad Heidam* & *Wanigsroda* ord. Ciſt. Diæc. Mog. in Thuringiâ Gotham inter & vallem S. Georgii ſitum, ineunte ſæculo XVI. interiit.

HEILSBRüCKENSE ſeu *Pons-Salutis* ciſterc. Monialium aſceterium in *Etikhoſen* uno ferè milliari a Neoſtadio an der Haart, ab Epiſcopo Spirenſi circa A. 1251. fundatum, floruit ad annum circiter 1564. quo a principe palatino occupatum eſt.

HEPPACENSE imperiale ciſterc. obſervantiæ, diæc. Conſtant. monaſterium circa A. 1207. fundatum, adhuc floret.

HERBIZHEIMIUM ciſterc. Virginum gynæcæum prope Saravipontem, cujus proventus Comes Naſſavius *Joannes Ludovicus* anno 1544. ſibi uſurpavit.

HERCI-

Digitized by Google

HERCINIANUM puellare O. S. B. aſceterium a *B. Theogero* S. Georgii in Sueviâ Abbate circa A. 1086. inſtauratum, nullius hodie eſt nominis.

HERISIENSE Virginum O. S. B. in diœceſi Paterbornenſi monaſterium, a *Luithardo* Epiſc. fundatum, & in Foracheimenſi Synodo A. 890. confirmatum, ſua gemit inter rudera.

HERSFELDIA aliàs *Herocampia* imperiale quondam O. S. B. in Thuringiæ finibus ad Fuldam amnem Archiſterium, Romano Pontifici immediate ſubjectum, cujus initia *SS. Bonifacio* & *Sturmio* Fuldenſi, incrementa *Lullo* Bonifacii in ſede Moguntinâ ſucceſſori adſcribuntur. Viguit uſque ad A. 1580. quo *Craffto a Weiſſenbach* in hæreſin lapſus rem familiarem prope decoxit. Curis tamen *Balthaſaris* Fuldenſis, & congr. Burſfeld. Abbatum reſtituta eſt Abbatia anno 1593. atque a *Joachimo Roſſio* Abbate procurata ad A. 1606. quo poſt ejus obitum *Otto* a patre ſuo *Gwillelmo Mauritio* Haſſiæ Landgravio in Theatro publico ſuper forum exſtructo, Princeps & Abbas conſtitutus eſt, ſeque talem geſſit ad A. 1619. quo ſeipſum globo transfodit. Electus deinde in Abbatem *Nicolaus Selig*, tunc temporis Montis S. Petri præpoſitus; aſt prædictus Haſſiæ Landgravius cum exercitu rurali denuò Hirsfeldiam ingreſſus, ſimili modo alterum ſuum filium *Guillelmum* principem intruſit. Quo itidem mala

lâ morte perempto, *Leopoldus Wilhelmus* Auſtriacus Argentinenſis Epiſcopus A. 1628. Herſteldenſis Eccleſiæ â ſuo patre *Ferdinando II.* Imp. præviâ proviſione Apoſtolicâ conſtitutus eſt Adminiſtrator. Hic verò ſuas vices *Joanni Bernardo* Abbati Fuldenſi commiſit: Cujus quidem curâ tota ditio ad avitam fidem eſt reducta. Verùm anno 1631. *Wilhelmus* Haſſiæ Landgravius fugatis inde monachis & clericis Abbatiam rurſus invaſit, atque per pacta Weſtphalica ſibi vendicavit ſub titulo *Principatûs Sæcularis* deinceps tenendam. Quod ſupereſt.

Dii precor & pietas, ſacrataque jura parentûm,
Hoc prohibete nefas, ſcelerique reſiſtite tanto!

HEUSDORFIUM celebre quondam Monialium O.S.B. in Thuringia Cœnobium prope Apoldam A. 1022. fundatum, bello inteſtino a rebellantibus ruſticis A. 1525. concitato, cum aliis interiit.

HEYNA ſeu *Hagena* olim *Aulesberg* Ord. Ciſterc. haud procul a Marpurgo Haſſiæ metropoli, in diœceſi Moguntinâ. Fuit olim Landgraviorum Haſſiæ ſepulchretum, nunc eorumdem eſt penarium.

HEYNA aliud Canonicorum S. Auguſtini diœc. Worm. haud procul a Liningâ urbe inter dumeta ſitum inde *Dumetenſe* dictum, hodie in uſus profanos abreptum eſt.

HIMME-

Digitized by Google

HIMMELAW ſeu *Augia - Cœli* juxta oppidum *Gelnhauſen* illuſtre pridem Monialium Ciſterc. aſceterium, quod *Sifridus* Curienſis Epiſcopus in ſuo fundo erexiſſe legitur, parem cum aliis in palatinatu ſortem ſuſtinet.

HIMMELTHAL ſive *Vallis - Cœli* Monialium Ciſterc. in Diœc. Mog. anno 1232. excitatum, collapſo rerum ſtatu, in ærarium electorale Moguntinum tamquam caducum diu ceſſit, dùm tandem *Joan. Suiccardus* illud A. 1625. collegio PP. Soc. Jeſu Aſchaffenburgenſi attribuit.

HIRSAUGIENSE celeberrimum in nigrâ ſylvâ, diœceſi Spirenſi, & ducatu Wirtembergico O. S. B. congr. Bursfeld. archiſterium anno 830. ab *Erlaſrido* Comite *de Calwâ* fundatum, ſtetit ad an. 1560. quo ferociente hæreſi deſolatum jacuit uſque dùm per edictum reſtitutionis Ferdinandeum an. 1630. ordini & congregationi eſt redditum. Eo autem tempore R. P. *Andreas Geiſt à Wildeck* ex priore Weingartenſi Abbas conſtitutus eſt, rexitque ad an. 1639. quo fatis functo ſuffectus eſt *Wunibaldus* ex eodem cœnobio aſſumptus. Novis verò exortis bellorum tumultibus ferali incendio per Gallos anno 1692. abſumptum eſt monaſterium, hodieque pios vindices ſuſpirat.

HISSA ſeu *Heſſenſe* Monialium O. S. B. prope Saneburgum, diœc. Argent. cœnobium ineunte

D Sæculo

Sæculo XI. conditum, modò redactum eſt in ſimplicem prioratum Altæ-Sylvæ obnoxium.

HOBURGENSE ſeu *Homburgenſe* Benedictinum congr. Burſfeldenſis, diœceſis Moguntinæ Monaſterium non longè a Fritislariâ ſitum, ſtetit uſque ad an. 1560. quo in religionis diſſidio ſuccubuit, a patribus unionis Burſfeldenſis hactenus fruſtrà repetitum.

HOFENSE Virginum O. S. B. ad littus maris potamici prope Buchornam an. 1090. conditum, ab anno 1420. Weingartenſi cœnobio plenè eſt incorporatum.

HOLZENSE O. S. B. diœceſis Auguſtanæ parthenium haud ignobile in amœniſſimo Lyci flu. tractu ſitum, de quo *Suevia Eccl. pag. 445.*

HONAUGIA ſeu *Honovienſe* O. S. B. infra Argentinam cœnobium an. 723. ab *Adelberto* fratre S. Othiliæ fundatum, denique in Canonicorum Collegium abiit, & interiit.

HORNBACENSE inclytum pridem O. S. B. diœceſis Metenſis monaſterium, uno ferè milliari a Biponte diſſitum, anno 740. fundatum, congregationi Burſfeldenſi nomen dedit an. 1490. atque ſub eâdem perſtitit, usque dùm mutatâ religione converſum eſt in phrontiſterium Scholaſticum, in quo ſuſtentarentur heterodoxi tyrones ad propriam & aliorum perniciem educandi. Sed propi-

Digitized by Google

propitiori tandem adſpirante Numine iſtud anno 1742. *R. P. Gonjetus* O. S. B, Metis profeſſus, auſpiciis Sereniſſimi Ducis *Stanislai* feliciter recuperavit, & à ſummâ Sede illius confirmationem obtinuit.

HUGONIS-CURIA vulgo *Hugueshofen*, gallicè *Honcourt* vetus Benedictinæ profeſſionis in Alſatiâ monaſterium S. Michaëli ſacrum, non longè a Seleſtadio, circa an. 918. conditum, viguit ſub congregatione Bursfeldenſi usque ad tempora innovatæ religionis. Sola nunc ejus reſtat Baſilica, proventibus in Andlavienſem Abbatiam ex parte illatis.

I.

S. JACOBI prope Moguntiacum in monte ſpecioſo O. S. B. congr. Bursfeldenſis monaſterium, cujus initia an. 1050. à *Bardone* Moguntinenſi Archiep. poſita ſunt; opus verò conſummavit ejus Succeſſor *Luitpoldus.* Adhuc viget.

S. JACOBI Scotorum in Erfordiâ O. S. B. monaſterium an. 1036. fundatum, hodie cum S. Jacobi Ratisbonenſi Scotigenarum itidem cœnobio eſt unitum.

ILBENSTADENSE B. Mariæ in Veteraviâ Ord. Præmonſtratenſis cœnobium, aliàs *Ilmſtadienſe* dictum, in diœc. Moguntinâ, etiamnùm perſtat.

ILMENSE Monialium Ciſterc. diœc. Mog. in

Schvvartzenburgico Thuringiæ Comitatu, aliàs *Salſeldenſe* nuncupatum, fundatores an. 1267. habuit Comites *de Schwartzenburg* Guntherum & Filios. Hodiè ſæcularizatum ab ejus familiæ poſteris detinetur.

INGELHEIMENSE Canonicorum S. Auguſtini, quod in aulâ villæ regiæ infra Moguntiam *Carolus IV.* Imp. anno 1360. pro Bohemis excitavit, ſubjecitque Abbati S. Caroli Pragæ; hodie vix rudera oſtentat.

S. JOANNIS propè Tabernas Alſaticas ſeu *Savernam* puellare O. S. B. aſceterium, a *Petro* Comite de Lutzelnburg an. 1126. fundatum, ſuo etiamnùm in ſtatu perſeverat.

S. JOANNIS in Rhingaviâ à *Ruthardo* Mog. Archiepiſcopo circa an. 1090. fundatum, Unioni Burſeldenſi acceſſit an. 1437. Viguitque in omni flore uſque ad finem ſæculi XVII. quo Canonici majoris ædis Moguntinæ præbendis ſuis augendis intenti illud ad incitas redegerunt. At verò patres congr. Bursfeld. vindicandæ patrum hæreditatis ſolliciti, illud tandem A. 1716. ceſſerunt celſiſſimo Principi Fuldenſi *Conſtantino*, eâ lege, ut ſex ad minus religioſi illîc congruè ſuſtentarentur. *Vid. Schannat. in Vindem. Litt.*

JÖRISBERGENSE ſeu *S. Georgii-Mons* in Thuringiâ diœc. Mog. O. S. B. monaſterium à *Zizone* Comi-

Comite *de Keſſberg* an. 1141. fundatum, ſtetit ad tempora mutatæ iis in locis religionis.

ISNENSE O.S.B. diœceſis Conſtant. an. 1096. erectum uſque modo perſtat. *Vid. Bruschius.*

JUGENHEIMENSE Monialium O. S. B. haud procul a Lauriſhamenſi in Stratâ montanâ, cujus hodieque rudera viſuntur, reditibus in uſus profanos converſis, e quibus ſaginantur hæretici.

K.

KAUFFINGENSE Virorum O.S.B. diæc. Spirenſis in Briſgoiâ Cœnobium olim celeberrimum, hodiè ſolo æquatum ſubſidet, proventibus Epiſcopali menſæ pridem addictis. *Bruschius &c.*

KIRCHBACENSE Virginum Ciſterc. diæc. Spirenſis in Zabergoviâ, Duci Wirtembergico hodie ſubjacet tributarium.

KIRCHENPOLAND ſeu *Polandinum* haud procul ab Alzeiâ palatinatûs oppido, inclytum pridem O.S.B. cœnobium, verſo per hæreſum tempeſtatem ordine, in manus Comitis Naſſavio-Weilburgenſis tranſiit, in cauponam nuper commtatum.

KIRCHGARTENSE ſeu *Hortus B. Mariæ* Ciſterc. obſervantiæ Virginum prope Wormatiam cœnobium A. 1226. ab *Henrico* Epiſc. conditum,

viguit ad an. 1443. quo canonicis S. Auguſtini ceſſit, ac denique an. 1652. interiit.

KIRCHHEIMENSE O. S. B. in Wirtenbergiâ diæc. Conſtant. circa an. 990. erectum, undoſis ſpumantium hæreſum undis abſorptum periit.

KÖNIGSBRUNNENSE ſeu *Regius-Fons* ciſterc. in Sueviâ tribus à Nordlingâ milliaribus cœnobium, diæc. Conſtantienſ. A. 1302. ab *Alberto* Imp. fundatum, ab *Ulrico* Duce Wirtembergico an. 1539. violenter occupatum, juſſu Caroli V. Imp. an. 1544. ordini redditum, denique poſt pacem Weſtph. excidit.

KÖNIGSBRUCHENSE ſeu *Regio-pontanū* O. S. B. à *Dagoberto* II. fundatum, in diæc. Argent. tribus ab Hagenoâ leucis ſitum, an. 1620. à *Mansfeldio* Alſatiam vaſtante concrematum eſt.

KRAFTHALENSE Ciſterc. in Burgovienſi Marchionatu diæc. Auguſt. proventibus ad Cæſarienſes cœnobitas translatis, defecit.

L.

LAUFFENSE ad Nicrum in Ducatu Wirtenbergico & diæceſi Herbipol. pro cœnobitis Benedictinis à *S. Henrico* Imp. an. 1033. fundatum, ab *Ulrico* Duce Wirtemb. an. 1563. diſſipatum eſt.

LAURISHAMENSE vulgo *Lorſch* Imperiale O. S. B. in Stratâ montanâ, diæc. Mog. Archiſterium

um, magnorum olim virorum ſeminarium, ac Regum & principum ſepulchretum, per *Cancronem* Comitem A. 764. fundatum; anno 1555. à *Friderico* Comite palatino occupatum, denique anno 1623. à *Joanne Sviccardo* Archiep. Moguntino unà cum juribus & pertinentis Menſæ Archiepiſcopali reunitum, priſci ſplendoris memoriam ægrè tuetur. Extat ejus loci chronicon à *Struvio* notis illuſtratum. Monumenta extulit *Helwichius.*

LIMBURGENSE O. S. B. diæceſis Spirenſis celebre quondam in peramœno monte haud procul ab oppido *Wachenheim* medio Spiram inter & Wormatiam intervallo Cœnobium an. 1034. *Conrado II.* Imp. fundatum, congregationi Bursfeld. an. 1481. unitum; anno 1561. à *Friderico III.* Electore palatino vaſtatum, gemuit ſub ferali jugo ad an. 1621. quo â patribus Congr. Bursfeld. Abbas eidem datus eſt R. P. *Joan. Jordans* Tuitienſis propè Coloniam profeſſus, vir pietate & doctrinâ clarus, qui tamen ſpecioſo anni decretorii obtentu rurſum violenter extruſus eſt anno 1650, factus deinde parochus in *Zornheim*, ubi lethali lue correptus obiit an. 1666. XIII. Xbris. In hunc usque diem patres Bursfeldenſes *retinendæ actionem* provido ſanè conſilio interpoſuêre, ſed hactenus experti inexorabiles animos, rem affectam magis, quàm confectam reliquerunt.

Digitized by Google

LOBENFELDENSE inclytum pridem O. S. B. diæceſis Wormatienſis, in pago *Kreichaw*, altero ferè milliari ab Heidelbergâ, ann. 1135. â *Buggone* Epiſc. dotatum; congregationi Bursfeldenſi an. 1450. unitum, communi fato abreptum periit.

LORCHENSE ſeu *Laureacenſe* O.S.B. in ducatu Wirtenbergico Gamundiâ uno milliari diſſitum an. 1102. conditum, unioni Bursfeldenſi acceſſit an. 1480. tum verò extruſis an. 1563. religioſis Lutherizatum, an. 1630. ordini reſtitutum, denique per pacta Weſtph. ad prædones rediit.

LUCIARIA ſeu *Lucerna* & *Luceria* O. S. B. apud Helvetios in diæc. conſt. Abb. à *Pipino* Rege condita, in Collegium Canonicorum abiit. an. 1418.

LUCIDA-STELLA vulgò *Liechtenſtern* Monialium Ciſterc. Aſceterium in ducatu Wirtenbergico an. 1242. conditum, parem cum aliis ſortem ſuperiori ſæculo ſuſtinuit.

LUCIDA-VALLIS ſeu *Liechtenthal* puellaris Ciſterc. Ord. parthenon diæc. Spirenſis prope urbem Badenſem ab *Irmengarde* palatinâ an. 1245. fundatus, viguit usque ad annum 1650.

LUCKESHEIMENSE Hercinianum O.S.B. diæc. conſt. cœnobium vix nomine ſuo reſiduum eſt.

LUDRENSE famoſum in Burgundiæ finibus O. S. B. monaſterium, eundem hodie cum Murbaco habet Abbatem.

MANS-

M.

MANSFELDENSE O. S.B. altero milliari a Widerſtadio in Comitatu Mansfeldico cœnobium, à *Rogerio* Comite an. 1114. fundatum. Bursfeldenſi unioni olim ſubjectum, a Comitibus Mansfeldicis an. 1526. in uſus profanos eſt mutatum.

MARCKSUSSERA in Schvvartzburgico Thuringiæ Comitatu & diæc. Mog. puellare Ord. Ciſterc. cœnobium anno 1287. fundatum, anno 1544. periit.

S. MARIÆ *in Campis* haud procul a Moguntiâ Benedictinæ quondam profeſſionis cœnobium, ab *Erckenbaldo* Archiep. circa an. 1011. conditum, in collegium Canonicorum abiit, nunc *S. Crucis* appellatum.

MARIENPFORT ſeu *Porta Mariæ* Wilhelmitarum cœnobium finibus oppidi Sobernheim verſus Sponheimium contiguum, ubi Eccleſiæ veteriſque ædificii rudera viſuntur; hodie *D. de Petri* contracto cum Dnâ de Schellart connubio illud ſibi vendicat. *De eo Thritnem. in chron. Sponh. p. 419.*

MARIENTHAL ſeu *Vallis Mariæ* Monialium O. S. B. apud Cynonotos infra arcem *Falckenſtein*, diæc. Mog. aſceterium, in quo non paucæ magni nominis comitiſſæ religionis ſtudio recluſæ ſibi

Chriſtoque vixerunt. Reditibus in alienos uſus abreptis ſuis hodie ſqualet ruinis.

MARIENTHAL aliud in Wormatienſi diſtri-ctu Ciſterc. inſtituti, vulgo *Frawenzimmeren* in Zabergoiâ an. 1236. conditum, circa an. 1563. à Duce Wirtembergico eſt ſæcularizatum.

MASMüNSTER in Alſatiâ O.S.B. â *Mazone* Regulo circa an. 730. fundatum, haud obſcuri eſt nominis, teſte Pfeffingero *in Vitriarium libr. I.*

MAURI-*Monaſterium*, olim *Cella-Leobardi* O. S. B. tertio a Tabernis Alſaticis lapide diſſitum, adhuc ſub congregatione Alſato-Benedictina floret.

MEMLEBIANUM O.S.B. inter celebriora Thuringiæ monaſteria olim locum habuit. Fundatum alii referunt ab *Henrico Aucupe*, alii ab *Ottone II.* Congregationi Bursfeldenſi acceſſit anno 1483. ſub quâ perſtitit usque ad an. 1551. quo *Mauritius* Saxoniæ Elector illud cum ſuis proventibus ſcholæ portenſi addixit. *Thuring. ſacra p.* 746.

MEMMINGENSE S. Nicolai pro monachis ſcotis O.S.B. a *Guelphone* Sueviæ Duce conditum, denique ab Hæreticis ſacrilegè contrectatum periit.

MULBRUNNUM Ciſterc. obſervantiæ in diæceſi Spirenſi, ducatu Wirtembergico, & circulo Suevico, initium habuit an. 1138. finem poſt pacta Weſtphalica.

MüNSTER

MüNSTER-*Freiſa* ord. præmonſtr. in Circariâ Wadegoriæ, diæc. Mog. filia Arneſtenſis, vix ſuum tuetur nomen.

MURBACUM Imperiale O. S. B. in Alſatiâ Archiſterium, vulgo *peregrinorum vivarium*; conditum eſt ab *Eberhardo* Duce ſub an. 724. privilegia ejus indicat *Petrus Georgiſch* V. Murbach.

MURENSE O. S. B. in diæceſi Argentinâ a Comitibus Habsburgicis circa an. 1113. fundatum, adhuc ſuperat. *Egger Idea O. S. B. lib. 1. p. 35.*

MURHARTENSE ſeu *Mohatenſe* O. S. B. in ducatu Wirtenbergico Diæc. Herbip. Congr. Burſfeld. ad Murram. flu. duobus ab Halâ Suevicâ milliaribus ſitum, a *Ludovico pio* an. 817. excitatum ab *Ottone*, *Conrado II.* & aliis Impp. variis privilegiis exornatum, circa an. 1573. Lutherizatum, poſt prælium ad Nordlingam an. 1634. a Cæſareis feliciter confectum ab *Adamo Adami* Brunvvillarienſi prope Coloniam profeſſo recuperatum, denique poſt pacem Weſtphalicam ad prædones pacificos rediit.

N.

NEOBURGENSE ſeu *Novum-Caſtrum* O. S. B. diæc. Worm. magni olim nominis aſceterium ad Nicrum flu. uno ferè milliari ab Heydelbergâ diſ-

ſitum,

Digitized by Google

ſitum, circa an. 1134. fundatum, congregationi Bursfeld. ab an. 1480. obnoxium extitit usque ad tempora mutatæ in palatinatu religionis. Illud verò patres Soc. Jeſu nuper ſuæ fecerunt poteſtatis, non attento, quòd in Art. V. pacis Weſtph. diſertè cautum ſit: *Ne bona ejusmodi in alios religioſorum ordines, quam quorùm regulis primitùs dicata ſunt, commutentur.*

NEOBURGUM aliud Ciſterc. in Alſatiâ diæc. Argent. haud procul a Hagenoâ, â *Reinoldo* Comite de Lutzelb. an. 1128. fundatum, adhuc floret.

NEOSTADIENSE Virginum O. S. B. in ipſâ Neoſtadianâ urbe an der Haart, haud procul â Landaviâ, diæc. Worm. quod *Joannes Caſimirus* palatinatûs adminiſter ſub an. 1579. in Gymnaſium Lutheranorum convertit.

NERESHEIMENSE in Sueviâ O. S. B. tribus a Nordlingâ milliaribus, ab Hartmanno Dillingenſi Comite an. 1095. conditum, adhuc viget.

NEUHUSANUM S. Cyriaci Virorum O. S. B. apud Wormatiam cœnobium, a *Dagob.* Rege fundatum, a *Samuele & Burchardo* Wangionum Epiſcopis inſtauratum, hodie ſua gemit inter rudera.

NIDERMüNSTER ſeu *Inferius-Monaſterium* in Alſatiâ diæc. Argent. monialium O. S. B. ad radi-

ces

ces montis S.Othiliæ,ab ipſâmet Sanctâ erectum, nunc ſolo æquatum jacet.

NITHARTSHUSENSE Virginum O. S. B. in diæc. Moguntinâ ab *Othone* Bambergenſi an. 1120. dotatum, nullius hodie eſt nominis.

NONNENMüNSTER ſeu *Marien-Münſter* celebris quondam Monialium O. S. B. parthenon à *Ludovico pio* an. 840. fundatus, hodie ſecularem induit togam.

NORIMBERGENSE S. Ægydii magnificum pridem O.S.B.cœnobium a Conrado III. Imp. circa an. 1140. fundatum, congregationi Bursfeld. an. 1418. unitum, innovatæ religionis tempeſtas abripuit poſt an. 1530.

NOVOUILLARE ſeu *Nova-Villa* Alſatiæ O.S.B. Virorum cœnobium ante an. 846. erectum, an. 1495. in collegiũ Canonicorum eſt converſum.

O.

OCHSENHUSANUM Sueviæ O. S. B. Archiſterium, duobus a Memmingâ milliaribus, hodieque ædificiis & inquilinis maximè eminet.

ODENHEIMENSE ſeu *Ottenheim* O. S. B. diæceſis Spir. in pago *Creichaw* an. 1122. fundatum, Congregationi Bursfeld. an. 1491. addictum, paulo poſt ab ordine defecit, mutato cœnobio in Canonicorum collegium. OFFEN-

OFFENBACENSE ſeu *Odenbach* virorum O. S. B. haud procul ab oppidis *Lautereck* & *Meiſſenheim* ad Glanum flu. diœc. Mog. fundatum an. 1150. Congregationi Bursfeld. an. 1469. unitum, viguit usque ad tempora mutatæ religionis. Ordini reſtitutum fuit an. 1623. ſed poſt pacem Weſtphalicam in priorem ſtatum rediit. Neque tamen defuit patrum Bursfeld. ſollicitudo, ut cœnobium ad corpus, a quo avulſum eſt, reducerent. Quare an. 1691. illud iterùm adiit *R. P. Bonifacius Layer* S. Jacobi Moguntiæ profeſſus. Sed cum proteſtantes denuò turbas cierent, altero poſt anno Sponheimium ſe recepit, titulo *Præfecti Offenbacenſis* retento. Sola autem eccleſia alicujus fere eſt ſpeciei, communis hodie catholicis & acatholicis.

OLDISLEBENSE celebre olim virorum O.S.B. diæc. Mog. cœnobium in Thuringiâ prope Saxiburgum edito colli impoſitum a *Ludovico II.* Thuringiæ Comite circa an. 1078. conditum, unioni Bursfeld. acceſſit A. 1483. In ruſtico tumultu an. 1525. miſerè vaſtatum, tandem poſt pacta Weſtph. ſeniori domûs Saxonicæ, lineæ Erneſtinæ jocalitii loco addictum fuit.

ONOLSBACHUM ſeu *Onoldinum* a S. Gumberto pro Benedictinis an. 780. fundatum, â *Carolo M.* variis ornatum privilegiis, denique in uſus pro-

promiſcuos abiit, & iis, qui ſe læſos putant, præter ſupplicare ac votare, relictum eſt nihil.

ORDORPENSE ſeu *Odendorffenſe* O. S. B. in Thuringiâ ad Oraham flu. haud longè ab Erfordiâ a *S. Bonifacio* erectum decus ſuum ſervavit usque ad hæreticorum in Thuringiam invaſiones.

ORDORFFIENSE virginum O. S. B. olim prope muros Urbis Gothæ deinde an. 1343. in ipſam urbem translatum, communi turbine involutum interiit. *Sagittarius hiſt. Goth. p.* 40. *&c.*

S. OTHILIÆ *Mons* ſeu *Hochenburgum* & *Altitona*, O. S. B. puellare in Alſatiâ, diæc. Argent. cœnobium A. 662. fundatum, denique a Gregorio XIII. epiſcopali menſæ Argent. addictum fuit.

OTTENBERGENSE ſive *Otterburgum* Ciſterc. cœnobium non longè a Cæſaris-Luterâ palatinatûs oppido diæc. Moguntinæ an. 1145. fundatum, anno 1576. ſecularizatum, dein A. 1634. ordini reſtitutum, tandem anni decretorii obtentu rurſus abreptum periit.

OTTENBURA Sueviæ præpotens O. S. B. monaſterium â *Sylacho* Francorum Duce, ac Ilergoviæ comite anno 764. fundatum, dein a *Carolo M.* & aliis principibus variis auctum privilegiis, hodie perſeverat.

PEGA-

Digitized by Google

P.

PEGAVIENSE illuſtre pridem O. S. B. Congr. Burſfeld. cœnobium tertio a Lipſiâ milliari diſſitum, a *Wiperto* Comite a. 1118. fundatum, viguit usque ad tempora mutatæ religionis. Ejus chronic. exhibet *Menckenius T. II. ſcript. Sax p.* 103.

PETERSBERGENSE aliàs *Mons S. Petri* Benedictinum in Erfordiâ Virorum cænobium, a *Dagoberto* Rege anno 706. erectum, congregationi Burſfeld. nomen dedit an. 1439. ſub qua etiam nunc in omni vigore perſtat.

PFAFFENSCHWABENHEIM Canonicorum S. Auguſtini in anteriore comitatu Sponheimenſi, uno fere milliari à Crucinaco, diæc. Mog. a *Meginhardo* Comite an. 1130. fundatum, anno 1570. lutherizatum, jacuit ſub ferali jugo usque ad an. 1696, quo tandem favore ſereniſſimi principis *Joannis Wilhelmi*, in præpoſituram rurſùs eſt converſum.

PFORZHEIMENSE fœmineum Ciſterc. diſciplinæ in ipſâ urbe phorcenſi aſceterium â Marchionibus Badenſibus fundatum, avitâ religione illic conculcatâ interiit.

POMARIUM vulgo *Baumgart*, gallicè *Verger* Ord. Ciſterc. in Argentina diæceſi cœnobium a *Conone* Epiſc. A. 1125. conditum, ruſticorum tumultu an. 1525. vaſtatum, denique Epiſcopali menſæ addictum fuit.

PORTEN-

PORTENSE in Thuringiâ, primum O. S. B. deinde Ciſterc. â *Brunone* pliſſenſi Comite an. 1127. erectum, *Mauritius* Saxo an. 1544. in Gymnaſium commutavit.

POSAVIUM ſeu *Boſavienſe* O. S. B. ad Cizam in Miſniâ cœnobium a *S. Boſone* An. 970. conditum unioni Bursfeldenſi acceſſit an. 1467. ſub quâ perſtitit ad tempora mutatæ religionis. Legimus autem Ordini fuiſſe reſtitutum an. 1554. Verùm ſub *Auguſto* Saxoniæ Duce religioſis iterùm exeſſe juſſis, denique cœnobium in prædium abiit, quod conductim ſolet elocari.

R.

RAVENSBERGENSE apud Cynonotos haud procul à Gemundâ urbe, Canonicorum S. Auguſtini phrontiſterium, diæceſ. Mog. quod ferociente hæreſi peſſimè habitum fuit, uſque ad an. 1697. quo rurſus religioſi incolæ gallorum ope illuc reducti ſunt.

RECHENSTOFENSE fœmineum ciſterc. cœnobium diæc. Spirenſis in Wayhingenſi præfecturâ, à Domino fundi violenter occupatum, hodienùm ſub jugo gemit.

REICHENBACENSE Herciniaum O. S. B. monaſterium à *Wilhelmo* Abbate Hirſaugienſi fundatum an. 1083. poſt pacem Weſtph. a Duce Wirtenbergico miſerè attritum intercidit.

REINHARZBORNENSE aliàs *Reinhardi-fons*

 celebre

celebre O. S. B. apud Thuringos cœnobium, quatuor ab Erfordiâ milliaribus diſtans, in confinio Loibæ ſylvæ ſitum, à *Ludovico II.* Thuringiæ Comite anno 1085. fundatum, Congregationi Bursfeld, an. 1493. unitum, ruricolarum invaſione an. 1525. fœdè protritum, denique Dux Saxoniæ omnes ejus proventus ſibi vendicavit.

S. REMIGII-*Mons* vetus Virorum O. S.B. in Palatinatu cœnobium, diæc. Mog. haud procul a *Meſenheim*, unioni Bursfeld. nomen dedit an. 1470. ſub quâ ſtetit ad an. circiter 1560. quo religioſis exeſſe juſſis in promiſcuos uſus abiit, uſque ad an. 1622. quo ope Hiſpanorum rurſùs ordini eſt reſtitutum; ſed poſt fœdera Weſtphalica iterùm abreptum eſt, & profanatum usque ad an. 1691. quo iſtud Gallorum præſidio revendicavit R. P. *Hugo Diel* S. Jacobi Moguntiæ profeſſus. Ejus verò poſſeſſionem per aliquot annos retinuit *Hugo*, dùm rurſus eum vi extrulêre proteſtantes.

RENHUSENSE ſeu *Reinhauſen* O. S. B. in ducatu Brunſvicenſi, diæc. Mog. non longè a Gottingâ cœnobium A. 1096. conditum, congreg. Bursfeldenſi acceſſit A. 1437. ſub quâ ſtetit ad an. 1574. quò a ſæcularibus invaſum interiit.

RETHERSENSE ſeu *Retheris* Virginum O.S.B. in Weteravia cœnobium, quod in communi diſturbio *Ludovicus* Comes de Stolberg an. 1565. ſacris veſtalibus extruſis, ordini eripuit.

RIFEN-

RIFENSTEINIUM aliàs *Rivestenſe* Ord. Ciſterc. in Thuringiâ diæc. Moguntinæ cœnobium an. 1162. conditum, de quo Schannat *in Prob. client. Fuld. p.* 221.

RODENKIRCHENSE O.S.B. diæceſis Moguntinæ Monaſterium, cujus Abbas *Petrus Sutoris* an. 1548. Benedictionem *à Michaele Helding* ſuffraganeo Mog. percepiſſe legitur. Nec plura de eo avara vetuſtas.

ROSENTHAL ſeu *Vallis-Roſarum* inſigne quondam O. S. B. Virginum domicilium non longe à Linangâ palatinatûs urbeculâ, cujus bona communi turbine diſsipata, hodienùm a laicis detinentur.

ROSLEBIENSE ſive *Roſtlebium* puellare ord. S. Auguſt. in Thuringia cœnobium, ab *Henrico de Wizleben* an. 1554. in Scholam Lutheranæ pubi erudiendæ commutatum eſt.

ROTENBURGUM illuſtre pridem O.S.B. monaſterium haud procul ab Alzeiâ palatinatûs urbe, viguit usque ad an. 1560. quo ululante hæreſi interiit. Ejus poſſeſſiones in bonis ſuis hodie numerat Comes Naſſovio-Weilburgenſis.

ROTHENSE O.S.B. diæceſis Auguſtanæ in Oetingenſi comitatu, Hirſauglenſi olim ſubditum, poſt pacta Weſtphalica in profanos uſus abreptum eſt.

ROTTENMÜNSTER Imperiale Virginum

Ciſterc. diæceſis Conſt ad protuberantis Nicri littora cœnobium à *B. Williburge* an. 1221. fundatum, & ab *Honorio III.* Pont. & *Friderico II.* Imp. confirmatum, ſuo adhuc in flore viget.

RUBRICENSE ſeu *Rubrenenſe* O. Præmonſtr. diæceſis Mogunt. de quo Sant-Mauriani T. *V. Gall. Chriſt. pag.* 601.

RUPERTI *Mons* vulgo *Rupersberg* Virginum O. S. B. cong. Bursfeld. parthenon prope Bingas ad lævam Navæ ripam in colle leniter aſſurgente, quem S. *Hildegardis* an. 1148. condidit, triſtem planè ſuſtinuit ſortem tempore belli Suecici an. 1632. in cineres redactus. Inde ſacer cœtus tranſlatus eſt in *Eibingen* ad alteram Rheni ripam prope Rudesheimium, ubi adhuc perſtat. Ab eo autem tempore Rupersbergenſe incolis vacuum, ac ſuis hodie lacerum ruinis, funeſtæ cladis ſpectaculum exhibet.

S.

SALEFELDENSE Imperiale O. S. B. monaſterium ad Salam flu. in Thuringorum & Slavorum confinio Rudelſtadium inter & Leutenbergam ſitum, primæ fundationis ſuæ auctorem habuit *Carolum M.* Alterum *S. Annonem* Colonien. Archiep. qui obtentis à *Richezá* Ezonis Comitis palatini filiâ, ac poloniæ Reginâ, amplis prædiis, ibidem monaſterium an. 1071. erexit, atque munificentiſſimè dotavit literis an. 1074. ſignatis. Congregationi Bursfeld. incorporatum fuit an. 1489.

Digitized by Google

1489. *Hermannus* Colonienſis illud jure advocatiæ an. 1528. conceſſit D. *Balthaſari Waltkirchen* coadjutori Conſtantienſi, tum ad Hildeſienſem cathedram poſtulato. Denique ſub regimine *Gregorii de Thunau* pulſis e loco monachis tabeſcere cœpit, ac tandem ſub *Rudigero* Abbate à ruſticis deſolatum, ejus bona in manus *Alberti* Comitis *de Mansfeld* an. 1532. devenerunt, qui Abbatiam in præfecturam quæſtoriam commutavit. Quamquam verò in raptores manifeſta ſe proderet iræ cœleſtis vindicta, ita quidem ut Comites Mansfeldici ad incitas propè redacti, jam inde ab anno 1570. diutinâ bonorum ſequeſtratione mulctentur, prævalente tamen malitiâ nobile hoc cœnobium penitùs deſtructum jacet. Hactenus quidem *evictionis actionem* intentarunt Patres Burſfeldenſes, ſed inflexibilitas Dominorum territorialium omnem prope ſpem eorum decollavit. Illud verò nunc eximit Dux Saxo-Gothanus. Quæ ſint Sereniſ. Archiepiſcopi Colon. in hanc Abbatiam prætenſiones indicat *Schwederus in Theatro. p. 673.*

SALEMITANUM Ciſterc. inſtituti in Sueviâ Archiſterium uno milliari ab Uberlingâ diſſitum, a *Gunthero* equite anno 1130. fundatum adhuc ſuperat.

SCHABENHEIMIUM puellare olim O. S. B. parthenotrophium altero ferè milliari à Moguntiâ verſus crucinacum, ab *Hedwige* Comitiſſâ

ſundatum, ſuperioris ſæculi turbine abſorptum, Abbates S. Maximini Treviris denuò erexerunt, hodieque in præpoſituram converſum perennat.

SCHöNAUGIA Virorum Ord. Ciſterc. duobus ferè milliaribus ab Heidelbergâ diſtans, ſua refert initia ad an. 1135. dotante *Buggone* Wormat. Epiſcopo parem nunc cum aliis ſortem ſuſtinet.

SCHöNFELDENSE monialium O. S. B. in palatinatu haud procul a Lymburgenſi, quod ſuis jam diebus deſolatum ſcribit Trithemius *chr. Sponh. pag.* 248.

SCHORNHEIMENSE Virginum O. S. B. in villâ *Schornsheim* altero feré milliari a Moguntiâ, multæ vetuſtatis aſceterium, in quo *S. Lioba* regnante *Pipino* habitaſſe legitur, vix priſci ſplendoris rudera oſtentat.

SCHUTTERA aliàs *Offonis-Cella* vetus O. S. B. in Alſatiâ cœnobium, unioni Bursfeldenſi an. 1490. addictum, ſuperiori ſæculo Alſato-Benedictinæ nomen dedit.

SCHWARTZACHUM olim *Arnolfsaugia* in Alſatiâ infer. haud procul a *Koſtzenhauſen*, a *Ruthardo* Duce 748. conditum, acceſſit ad unionem Bursfeld. an. 1459. Nunc membrum eſt Alſato-Benedictinæ.

SEBACHUM ſivè *S. Laurentii in Sebach* ſequioris Sexûs O. S. B. parthenon prope *Türkheim*, diæceſis Spirenſ. ſub Congregatione Bursfeldenſi

perſtitit

perſtitit usque dum graſſante hæreſi à Linangano Comite oppreſſus eſt.

SELBOTENSE Ord. Præmonſtr. in diæceſi Moguntinâ viguit ad an. 1558. quo ſuppreſſum ab hæreticis memorant *Sant-Mauriani.*

SELIGENSTADIUM O.S.B. ad Mœnum tribus ferè à Francofurto milliaribus diſtans, quod ab *Eginhardo* Ludovici Imp. cancellario circa an. 827. fundatum legitur. Bursfeldenſi Unioni acceſſit an. 1481. ſub quâ hodiedùm perſeverat.

SELSA ſeu *Saletio* vulgo *Seltz* O.S.B. cœnobium, in ejusdem nominis urbeculâ Alſatiæ inferioris, à *S. Adelheide* Imperatrice circa an. 987. fundatum, anno 1485. in ſæculare Canonicorum collegium abiit, quo diſſipato redditus tandem ceſſêre patribus Soc. Jeſu.

SICHEMIUM Ord. Ciſterc. in Thuringiâ & diæceſi Moguntinâ, initium habuit an. 1141. flagrante hæreſi inrercidiſſe creditur.

SION Monialium O.S.B. haud procul ab Alzeia, communi ſævientis hæreſeos voragine abſorptum interiit.

SITTICHENBACENSE ſeu *Sichimenſe* Ord. Ciſt. in comitatu Mansfeldico haud procul ab Islebia poſitum, abolitô per Thuringiam religione avitâ an. 1547. penitus eſt attritum.

SOBERNHEIMENSE Canonicorum, ut videtur, collegium in ipſo palatinatûs oppido *Sobern-*

bernheim, cujus eccleſia ſatis ampla hodie ſuperat. Aliud Equitum S. Joannis Hieroſol. cui ſacellum an. 1664. adſructum eſſe memorat Fuchſius *in Orat. de diæceſi Beckelnheim pag. 9.*

SPANHEMENSE illuſtre pridem O. S. B uno ferè â Crucinaco milliari diſtans cœnobium ab *Everhardo* Comite Spanheimienſi an. 1044 fundatum, dein à *Stephano* itidem Comite in melius converſum, atque ab ejus filio *Meginhardo* abſolutum; Congregationi Bursfeldenſi acceſſit an. 1496. In eo floruit magnus ille Abbas *Joannes Trithemius*, cujus diligentiæ plurimum debet Germania, ordoque univerſus. Viguit usque ad an. 1568. quo *Jacobus Spira* loci Abbas à fide defecit. Ordini reſtitutum eſt an. 1622. Curis R. P. *Remigii Holzweiler* S. Martini Coloniæ profeſſus, cooperante *Guillelmo Staden* Agrippinate ejusdem ordinis ſummæ viro eloquentiæ & eruditionis, qui edidit *Trophæa Verdugiana Coloniæ A. 1630. in 4.* Remigium in regimine excepit *Jacobus Horns* SS. Theologiæ doctor S. Martini Coloniæ itidem profeſſus, qui obiit an. 1645. die 24. Julii. Tùm nutanti clavo manum admovit *Gerardus Karell* Corbeienſis Prior. Hunc excepit *Arnoldus ab Eſſen* Tuitienſis cœnobita, qui an. 1650. ſigillum, quo hucusque utitur Spanheimenſis communitas, fieri fecit. Hic anno 1652. vi extruſus Moguntiam ſe recepit, factus Prior S. Jacobi in monte ſpecioſo, ubi vitæ periodum clauſit an. 1664. die V. Idus Octobr. Gemuit inde

Abbatia

Abbatia ſub ferali jugo usque ad an. 1687. quo R. P. *Elias Bingell* S Jacobi profeſſus ejus vindicandæ provinciam in ſe recepit, atque demùm ope gallorum eam an. 1698. die 6. Januarii ſui fecit juris, ſecuto inde anno per Abbates congr. Bursfeld. qui Tuitii convenerant Abbas deſignatus. Obiit an. 1721. die XX. Sept. ætatis 77. Eum excepit *Romanus Traut*, qui an. 1728. reſignavit in R. P. *Fridericum Ettingshauſen*, quo an. 1732. die 12. Novembr. fatis functo, Rmus Abbas S. Jacobi *Amandus Schell* perpetuam illuc ſuorum immiſſionem obtinuit. Hodie rebus præeſt R. P. *Auguſtinus Schülein*, ſub quo fundatores ſplendorem priſci æmulum ſibi pollicentur.

SPILBERGENSE Virorum O. S. B. diæc. Spir. in Herciniano paris nominis oppido, jam pridem hæreticorum inſaniâ extinctum interiit.

SPRENGLINGENSE aliàs *S. Gertrudis in Sprenlingen*, uno fere milliari à Crucinaco Moguntiam verſus, illuſtre pridem Monialium O. S. B. aſceterium, ſuis hodie horret ruinis.

SPRENGERSBACENSE Canonicorum S. Auguſtini monaſterium, ex quo accitos an 1135. religioſos, qui collegium in Franckenthal inſtruerent, narrat Trithemius *chr. Sponh. p.* 247.

STEINA O. S. B. in Calenburgenſi principatu & diæceſi Mogunt. cœnobium inter Northeimium & Göttingam ſitum, congregationi Bursfeld. an. 1492. acceſſit, eique parebat adhuc an. 1619.

Digitized by Google

quo *Fridericus Ulricus* Dux Brunſvicenſis illud ſuæ fecit poteſtatis. Quod cùm *Joan. Suiccardus* Archiep. Mog. ægrè ferret, tandem an. 1625. res ad pactionem venit, ut *Steina* reſtitueretur in eum ſtatum, quo erat an. 1619. ante 13. Maji. Verùm paulo poſt proteſtantium furori iterùm ceſſit infelix victima, non attento pacis Weſtphalicæ anno decretorio.

STEINENSE ad lacum podamicum O. S. B. diœc. Conſtant. circa an. 1005. fundatum, graſſante hæreſi antiquatum, vix priſci decoris umbram retinet.

S. STEPHANI Argentinenſe Virginum Ordinis primùm S. Benedicti, tum S. Auguſtini cœnobium, tandem a *Ludovico XIV.* monialibus *A Viſitatione* dictis an. 1694. attributum fuit.

S. STEPHANI O. S. B. in montis jugo propè Heydelbergam cœnobium ab *Anſelmo* Laurishamenſi circa an. 1093. erectum, cum aliis interiit, de eo Pareus *hiſt. palatin. p.* 432.

SULZBERGENSE eximium O. S. B. in Badenſi marchionatu Monaſterium, conculcatâ religione in caſtrum a Durlacenſi Marchione eſt converſum.

SüNSHEIMENSE aliàs *S. Michaëlis in Sünsheim* O. S. B. diœceſis Spirenſis, an. 1104. fundatum, an. 1497. verſum in collegium Canonicorum, ac denique intercidit.

SURA-

SURABURGENSE olim *Heiligshoff* O. S. B. diæceſis Argent. a *Dagoberto II.* conditum, ſubinde ad canonicos ſæculares defecit.

T.

S. THOMÆ O. S. B. apud Argentinam cœnobium a *S. Florentio* Epiſc. pro Scotis circa annũ. 1031. conditum, diu ſub congregatione Burſfeld. ſtetit; verùm nunc ejus proventus profeſſoribus proteſtantium inſerviunt.

TRUMBACUM puellare O.S. Auguſtini nobile pridem cœnobium haud procul a Spanheimio, quod Albertus Archiepiſc. Mog. anno 1517. priori Schvvabenheimenſi ſubjecit.

S. TRUTPERTI celebre O. S. B. diæc. conſtantienſis ad Herciniam monaſterium a primis Habspurgi comitibus ante mille annos conditum, adhuc ſuo in flore viget.

V.

VALLIS *S. Georgii* vulgo *Georgsthal* Ciſterc. in Thuringia, diæc. Mog. monaſterium an. 1140. erectum Saxoniæ principes in profanos uſus converterunt.

VETUS-*Monaſterium* vulgo *Alten-Münſter* puellare olim O. S. B. nunc Ciſtercienſis ad muros urbis Moguntinæ à *S. Bilehilde* anno 734. conditum adhuc perſtat.

VLADENSTADENSE O. S. B. in diæceſi Moguntina,

tina, cujus meminêre Monaſteriologi, nobis eſt incognitum.

VOLCOLDERA Ciſter. in Thuringia monaſterium, fundatricem habuit *Helingurgim* Comitiſſam *de Glichen* an. 1131. Nullius hodie eſt nominis.

VRSINENSE corruptè *Irſingum* O. S. B. in Suevia haud procul a Kaufbura cœnobium, anno 1182. ab *Henrico* Marchione *de Rumſperg* conditum, ſuo in flore perennat.

VRSPRINGENSE Virginum O. S. B. nobile parthenotrophium diœc. conſtant. uno milliari ab *Ehingen* oppido, adhuc ſuperat.

W.

WAGENHUSANUM O. S. B. ditionis Turgovicæ, olim Schafhuſiano cœnobio obnoxium ab hujus loci Abbate *Sifrido* fundatum, a Novatoribus pridem vaſtatum interiit.

S. WALDEBURGIS aliàs *Bibelis* ſequioris Sexûs O. S. B. in Alſatia cœnobium, fundatorem habuit *Theodoricum* Montis-Bellicardi Comitem Sæculo XI. an. 1525. à ruſticis vaſtatum, ac dein reſtitutum ſuo in ſtatu adhuc permanet.

S. WALDEBURGIS aliud Virorum O. S. B. prope Hagenoam in Alſatia eodem conditore an. 1074. erectum, Congregationi Burſfeld. nomen dedit an. 1485. Sed cùm an. 1525. à Ruſticis Badenſibus & Mogonis eſſet devaſtatum, anno demùm 1544. Weiſſenburgenſi præpoſituræ unitum fuit.

WAL-

WALKENREDA Ciſterc. Abbatia juxta *Hartboven* in Thuringiæ ducatu & diæceſi Mog. circa an. 1127. fundata, a ruſticis an. 1525. vaſtata, dein an. 1629. ordini reſtituta, poſt annum 1648. in Ducis Saxoniæ poteſtatem venit.

WALSTORFFIUM puellare O. S. B. in Comitatu Naſſovio aſceterium, cujus cura à Patribus Congr. Bursfeld. demandata eſt Rmo. D. Abbati Schonavienſi, verſo rerum ordine interiit.

WEINGARTENSE in Suevia imperiale O.S.B. diæc. Conſtant. non procul à Ravenſpurgo, in pago *Altorff*, circa an. 800. ab *Irmentrude* Comitiſſa fundatum, hodiedùm pietatis & doctrinæ emporium audit.

WEISSENBURGUM aliàs *Witzenburgum* quaſi *Sapientiæ Caſtrum*, vetus O. S. B. in diæceſi Spirenſi, ad Vogaſi fauces cœnobium, ſingulare olim Germaniæ ornamentum, & magnorum Virorum Seminarium, à *Dagoberto* ſeniore an. 623. fundatum, variis deinde prædiis & privilegiis auctum, conſors factum eſt Fuldenſis in S. R. I. dignitate principali. Subſtitit ad annum 1524. quo *Rudigerus Piſcator* loci Abbas cœnobium in collegium Sacerdotum ſæcularium commutavit, cujus deinde præpoſituram *Philippus à Flersheim* Spirenſis Epiſcopus an. 1546. perpetuum ſuo uniri Epiſcopatui à *Paulo III.* P. M. obtinuit.

WERNERIVILLARIUM, vulgo *Wernsweiler* Ciſterc. Ord. in Argentina diæceſi cœnobium an. 1107. conditum, cum aliis intercidit.

Digitized by Google

WETTER regale in diæceſi Moguntina, canoniſſarum, ut creditur, regularium S. Auguſtini monaſterium, nunc obſcuri eſt nominis.

WIBLINGENSE ſeu *Biblingum* O. S. B. diæceſis Conſtant. non procul ab Ulma, an. 1090. a Comitibus de Kirchberg conditum, inſigniter adhuc claret.

WIGBERSHUSANUM ord. Ciſt. in diæc. Moguntina Virginum aſceterium, de quo Schannat *in probation. Clientelæ Fuld. p. 276.*

WIMMELBURGENSE O. S. B. diæc. Halberſtad. in Comitatu Mansfeldico, haud procul ab Islebia, ineunte Sæculo XII. erectum, Congregationi Bursfeld. nomen dedit anno 1491; poſt prætenſam *Lutheri* reformationem Comites Mansfeldici reliqua ejus prædia ſibi uſurparunt.

WIRSWEILERENSE Virorum O. S. B. præpotens monaſterium, haud procul ab Homburgo in Ducatu Bipontino, Congregationi Bursfeld. an. 1482. unitum, communi tempeſtate abſorptum interiit.

WISENBACENSE O. S. B. in forenſi ditione Electoris palatini, & diæceſi Spirenſi, prope Neckersgmundam, a Comitibus Dilſpergicis an. 1150. conditum, modò ſua gemit inter rudera.

WOFFENHEIMIUM puellare O. S. B. in Alſatia domicilium a parentibus *Leonis* Papæ IX. an. 1049. fundatum, ſolas nunc macerias oſtentat.

WOR-

WORMATIENSE S. Andreæ virorum O. S. B. monaſterium, a *Burchardo* Epiſcopo & Decretorum collectore inſtauratum, communi turbine abſorptum periit. Ita nempe:

Quas ſacras ædes pietas conſtruxit avorum,
Has nunc hæredes devaſtant more luporum.

Et certè verendum, ne nobis torpentibus dæmoni ad vaſtitatem incubanti ſubdatur Materia de ipſis hominum affectibus triumphandi, dùm nempe liberiùs graſſante ſecularium lubidine, illi qui ex adverſo ſunt, palam gloriantur loca Deo ſacra & bona illa, quæ *Eccleſiaſtica* appellamus, a ſuo jam ſtatu excidiſſe, & periiſſe omnia, idque vel ex eò, quòd videantur derelicta, & quaſi ceſſa cuivis occupanti. *Derelictio namque facta preſumitur,* inquit Conringius, *ſi cùm poſſis & debeas, rem ab interitu ſervare, nihil moveas, ſed quaſi otioſè eam ſpectes interire.* Quapropter ne damnoſæ ejuſmodi arguamur incuriæ ac negligentiæ, ſerió laborandum omnibus eſt, ut quod imminet periculum unitis viribùs amoliamur. Quo autem id pacto effici queat, difficile omninò eſſet imperioſè definire. Solas preces, querelas, ſuſpiria, lacrymas, lamentationes, threnodias, piaque deſideria non ſufficere, ipſa nos docet experientia: Etenim ut Salluſtius ajebat. *Non votis, neq; ſuplicis muliebribus auxilia Deorum parantur: Vigilando, agendo, conando, luctando proſperè omnia cedunt.* Sed his pronus accedat rerum benè gerundarum nervus, neceſſe eſt. Valet enim hîc

ùti

uti alibi, Plautinum illud: *Neceſſum eſt eum facere ſumptum, qui quærit commodum.* Unde & Horatius ſuos monebat: *O Cives, Cives! quærenda pecunia primùm, virtus poſt nummos.* Appoſitè verò D. Ambroſius; *Aurum* inquit, *habet Eccleſia, non ut ſervet, ſed ut eroget, & ſubveniat neceſſitatibus.* Quæ autem major neceſſitas, quàm tot monaſteriorum, locorumque ſacrorum a profanatione, neglectu & interitu vindicandorum, totq; animarum a verâ fide aberrantium in viam veritatis reducendarum? Huic itaque neceſſitati cedere debent omnia, imò calices ipſi & vaſa ſacra: Siquidem ut idem ait S. Pater: *ornatus ſacramentorum, redemptio eſt captivorum, & verè vaſa ſunt pretioſa, que redimunt animas a morte; ille verè theſaurus eſt Domini, qui operatur, quod ſanguis ejus operatus eſt* --- Agite igitur ſacrorum Antiſtites & Patrimonii Chriſti diſpenſatores! Agite quod hîc monet *Ambroſius*, atque de theſauris veſtris & ſcriniis ea, quæ jam pridem religionis commodo, decori, ac neceſſitatibus devoviſtis, faciles depromite. Adeſte conſiliis, favete cæptis, ſudanti animos vireſque addite, ac votis noſtris & conatibus, non ſanè otioſis, ſed pro ſacri ordinis honore, gloriâ, & incremento negotiaturis benignè annuite. Rationes noſtras ponemus ſigillatim, vos argumenta, nervum, cerulas, limãq; dabitis, nos veſtræ generoſitati teſtimonium reddemus publicũ, votumq; candidum, ut bonum Numen vos ſoſpitet diu, ac olim beet.

I.O.G.D.

Digitized by Google

CONSPECTUS OPERUM TRITHEMIANORUM SIMUL EDENDORUM.

ACCURANTE

R. P.

OLIVERIO LEGIPONTIO

Cœnobitâ Benedictino ad S. Martinum Coloniæ Profeſſo, SS. Theol. Licent. ejusdemque Profeſſore emerito, p. t. Diſibodibergenſis Abbatiæ præfecto.

Digitized by Google

QUandoquidem venerabile JOANNIS TRITHEMII Abbatis primùm Spanheimenſis, deinde Divi Jacobi Herbipoli, O. S. B. Viri ſuo ævo doctiſſimi nomen totus orbis literatus, ſed præcipuo honore Germania noſtra extollat; ejus verò ſcripta ceu bonæ frugis ſucco pleniſſima a plerisque deſiderentur, eaque variis in locis, diverſis temporibus & formis ſparſim impreſſa, temerè & vagé per Officinas & Bibliothecas peregrinentur; pleraque etiam deliteſcant anecdota, ac editorum quædam ſeſe oculis manibusque hominum ita ſubduxerint, ut vix ac ne vix quidem prece aut pretio comparari queant: Ne quicquam de tanti viri monumentis tempus edax rerum, proborumque nomini inimica invidia deinceps conficiat, rem orbi erudito non minùs gratam, ac Ordini Benedictino glorioſam, ſumméque perutilem, & ipſis etiam librariis lucroſam fore credimus, ſi ea novis atque elegantioribus, ut par eſt, exculta formis, ordinatiori digeſta ſerie, ſuis ditata auctariis,

Digitized by Google

ctariis, ac velut poſtliminio ſuæ reſtituta integritati in lucem proferri curaremus hoc Schemate:

TOMO I. Præfigetur vera TRITHEMII effigies ex archetypo A. 1513. ſignató & apud Spanheimenſes hodienùm adſervato depicta, cum hâc epigraphe:

Panſophiæ ſplendor magnus Trithemius Abbas,
Hoc vero vultu conſpiciendus erat.
Aſt animi dotes, curas, vaſtosque labores,
Quæ porrò ſcripſit Te monumenta docent.

Sequetur ejus *Vita* & *Apologia* paulò curatiùs, quàm reliquæ elaborata. Hanc excipiet ejus *Nepiachus* ab *Eccardo* editus; Tùm *Pinax lucubrationum ipſius* ex epiſtolâ *Joannis Duracluſii*. Subnectentur *R. P. Joannis Boutzbachii Piemontani* Prioris Lacenſis, *Jacobi Syberti*, & aliorum ſupparum de ipſo elogia in compendium redacta. Item Apologia ejusdem per *Wolfgangum Traſlerum* S. Jacobi Moguntiæ cœnobitam, hactenus inedita. Addentur ea, quæ *Colerus* de ipſo diſſerit in ſuâ *Anthologiâ* To. I. Faſc. I. pag. 4. & Faſc. VI. pag. 390. *Bellarmini*, *Brovveri*, *poſſevini*, *Tanneri*, & aliorum judicia, cenſurasque malleo ad incudem revocabimus. Si qui Eruditorum quidpiam inprimis ad vitam, famam, aut elogia

Digitized by Google

faciens, de illo ſuggeſſerint, ſuo inſeretur loco. Quia verò epiſtolaris hiſtoria omnium certiſſima eſt (*Siquidem*, uti præclarè Lipſius, *detegimur in epiſtolis, & ſubjicimur oculis penè nudi*) poſt præfata illicò ſequentur *Trithemianæ* ad diverſos epiſtolæ, ordine Chronologico digeſtæ, in quibus non modò ejus ingenii, affectûs, judicii, ſed & fatorum, ac totius vitæ ipſius non vana relucet imago.

TOMUS II. Continebit opera aſcetica, nempe: 1. Commentariorum in Regulam S. Benedicti librum primum, nam ſecundus deſideratur, cujus defectum ſupplebimus ex alio ſcriptore anonymo, qui ſub initium Congregationis Bursfeldenſis ſcripſit *Expoſitionem Regulæ continuam*, hoc exordio: *Quòd minùs attentos fugit*... 2. Exhortationum ad Monachos libros duos. 3. Tractatum de triplici regione clauſtralium... 4. Modum & formam quotidiani Monachorum exercitii. 5. Compendium ejusdem operis... 6. De Religioſorum tentationibus... 7. De vitio proprietatis... 8. De peculio Monialium... 9. Speculum vitæ hominis Religioſi... 10. De vitæ Sacerdotalis inſtitutione.. 11. De Continentiâ & Virginitate.... 12. De vanitate & miſeriâ humanæ vitæ &c.

TOMO III. Inſerentur: 1. Laudes vitæ monaſticæ & S. Benedicti. 2. Liber penthicus ſeu lugubris *de ſtatu & ruinâ ordinis monaſtici*.

naſtici. Gui ſubnectemus *Hiſtoriam Congregationis Burſfeldenſis*, unà cum chartis, Bullis, & privilegiis hactenus deſideratis. 3. Modus & forma celebrandi capitulum cùm *Annale*, tùm *Provinciale*. 4. Conſtitutiones Capitulorum *ad noſtra tempora continuata*. 5. Tractatus de viſitatione Monachorum. 6. De miſeriâ clauſtralium prælatorum. 7. Orationes in annuo Abbatum congreſſu habitæ: quibus interſeremus *aliorum paraneſes* pariter in comitiis effuſas. 8. Sermones ad fratres Spanheimenſes *Argentinæ* 1486. in fol. editi. 9. Tractatus de privilegiis Clericorum, qui cum ejusdem opuſculo de Laudibus S. Annæ excuſus eſt Lipſiæ A. 1494.

TOMUS IV. Complectetur ea, quæ pro Eccleſiæ defenſione & utilitate ſcripſit: Viz. 1. De certis dubiis & quæſtionibus in Evangelio S. Joannis... 2. De quibusdam in Pſalterio dubiis... 3. Librum octo quæſtionum ad Maximilianum Imperatorem... 4. Tractatum de Providentiâ DEI... 5. Reſponſum ad Quæſtiones *Rogerii Sicambri*... 6. Antipalum maleficiorum... 7. De prænotionibus licitis & non licitis Chriſtiano... 8. *De Veneficiis*, opus Germanicè *Ingolſtadii* A. 1555. & in Theatro de Veneficis *Francofurti* 1586. editum. 9. Variarum Quæſtionum, Orationum & Propoſitionum libr. XX. &c. ..

TO-

TOMUS V. Repræſentabit ea, quæ edidit pro gloria Sanctorum: 1. *Laudes veræ pœnitentiæ.* 2. *Laudes S. Joſephi, SS. Petri, Andreæ, Joannis, Marthæ, Magdalenæ &c.* 3. Tractatum de Laudibus S. Annæ. 4. Vitam S. Herminæ Monialis; Item SS. Maximi, Maximini, Rabani... 5. Epitomen de vitis Sanctorum. 6. De Miraculis B. M. V. in Dittelbach & in Urticeto. 7. Proſas, preces, odas, aliaque opuſcula huc ſpectantia.

TOMO VI. Comparebunt: 1. *Chronologia myſtica*, ſeu *libellus de ſeptem ſecundeis moventibus orbem.* 2. Liber de computo Eccleſiaſtico. 3. Chronicon Spanheimenſe *ad noſtra tempora deductum*; cui brevem adjiciemus *Notitiam Monaſteriorum in palatinatu Rheni, viciniſque locis olim extantium, hodie in uſus promiſcuos translatorum.* 4. Chronicon Monaſterii Divi Jacobi in ſuburbio Herbipolitano, pariter ad hanc ætatem continuatum.

TOMUS VII. Exhibebit Chronicon Hirſaugienſe curâ Monachorum Sangallenſium in duas partes anno 1690. in fol. editum, cum ſuis auctariis.

TOMUS VIII. Dabit Hiſtoriam illam, quam præſtantiſſimam deprædicat *Hachenbergius* in Germ. Med. *diſp. 6.* §. 11. & in Sereniſſimi principis Bipontini chartulario adſervari prodit *Magirus* in Eponymologio critico, art. TRITHEMIUS.

TO-

Digitized by Google

TOMUS IX. Continebit: I. Compendium Annalium de origine & Regibus Fancorum, ſeu Breviarum ex *Hunibaldo* decerptum. 2. Chronicon Bavariæ Ducum & Comitum palatinorum Rheni. 3. De Ducibus & Epiſcopis Wirceburgenſibus ex *Ludevvigii* & *Ignatii Groppii* collectionibus.

TOMO X. Inſerentur ea, quæ pro rei literariæ augmento protulit: 1. *De laude ſcriptorum Manualium*. 2. De Scriptoribus Eccleſiaſticis *cum ſuis auctariis*. 3. De Illuſtribus Germaniæ Scriptoribus. 4. De viris Illuſtribus Ordinis S. Benedicti. 5. De Laudibus Ordinis Fratrum Carmelitarum. 6. De Viris Illuſtribus ejusdem familiæ. 7. Laudes ſtudii divinarum ſcripturarum, & reliqua Bibliographica.

TOMUS XI. Dabit ſtudia curioſa, viz: 1. Steganographiæ libros tres, cum enodatione *Guſtavi Seleni* ſeu *Auguſti* Ducis Brunsvvicenſis, & *Wolfgangi Heidelii*; quibus præmittentur *Sigismundi* Abbatis in Seon, *Joannis Caramuelis*, & aliorum apologetica. 2. Poligraphiæ libros VI. cum clave, & obſervationibus variorum. 3. Diſſertationes *Georgii Wallin* de arte Trithemianâ ſcribendi per ignem. 4. Opusculum, cui titulus: *Synouſiaſtes &c.*

TOMUS XII. Exhibebit Tractatus phyſicos & Chymicos: 1. *Opus Hieraticum pro variis morbis depellendis*. 2. Commentarium

de

de Spagyrico artificio, *ex Tomo* I. *Theatri Chemici.* 3. Tractatum Chemicum, *ex Tomo IV. ejusdem Theatri.* 4. Tractatum de Augmentatione cum Mercurio Saturni &c. *ex Theatro Roth-Scholziano pag.* 99. Item Veterum Sophorum ſigilla & imagines magicas A. 1612. ſeorſim editas, & *Herrenſtadii* A. 1732. recuſas. 5. Documenta de tribus rerum naturalium principiis, & alia anecdota, quæ penes me extant.... Si plura propitiori fortunâ nanciſci contigerit, ea ſuis inſeremus locis.

Et hæc quidem operum Trithemianorum ſumma ſunt capita, hæc futuræ editionis noſtræ œconomia, quam delibandam ac velut prægustandum publico proponere viſum eſt, non modò, ut de Eruditorum guſtu periculum faceremus, ſed ut eos ad reliqua in ſcriniis adhuc latentia nobiscum benevolé communicanda invitaremus, honorificam ubique Benefactorum facturi mentionem. Si qui porrô maturandæ editoni prænumerare, aut emptioni ſubſcribere voluerint, hanc ſuam mentem, ut mihi candidè pandant, obſecro: Rem ipſorum eâ fidelitate curâque agam

Ut in omnibus glorificetur DEUS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google